



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apotheca Spiritualem Pharmacorum Contra Litem Contagiosam Aliosque Morbos

Wichmans, Augustin

Antverpiae, 1626

Diarum Ecclesiasticum De Sanctis Contra Pestem Tutelaribus, In Quo
Quam Plurimae Antiquitates Ecclesiasticae grata varietate explicantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9653

DIARIUM
ECCLESIASTICVM

DE
SANCTIS CONTRA PESTEM
TUTELARIBVS,

IN
QVO QVAM PLVRIMAE

Antiquitates Ecclesiasticæ grata varietate
explicantur.

Omni hominum conditioni vtilissimum.

ECCLESIASTICVM

Ex Officio Ecclesiastico, in festo omnium
Sanctorum.

*Sanctorum nos adiuuent merita, quos propria impediunt scelera;
excuset intercessio, accusat quos actio: & qui eis tribuisti ca-
lestis palmam triumphi, nobis veniam non deneges pec-
cati.*

QVO QVAM PLVRIMAE

Antiphona Ecclesiastica
episcopus

Omni bonum conditione

LECTORI MEO.

Dixi in Apotheca mea, utile pharmacum esse contra pestem, atque aded salubre consilium, singulis mensibus eligere sibi quempiam in Patronum menstruum, è numero Sanctorum illorum, qui contra pestem, ceu sacri Tutelares, à fidelibus solent inuocari, vt illius suffragantibus meritis, ab eadem præseruari mereamur: Atque istum in finem, promisi Prædictæ Apothecæ, Diarium aliquod, id est, Sanctos hos Tutelares per singulos menses, suis diebus distributos, subnectere, vt in quem mensem, & quem diem singuli incidant, statim posses reperire. Id promissum, ecce iam exoluo: quod æqui bonique, rogo vt consulas.

Secutus sum ordinariè, vbi ille haberi potuit, textum Martyrologij Romani, vtpote quod primum locum vbi que debet obtinere. Quæ postea subiunxi, ad clariorem textus explicationem, & Sanctorum vberiore notitiam deseruiunt, ne ieiunus à modicorum verborum lectione abscederes, fame ex fama tantarum personarum perceptâ: Atque vbi notabilius quidquam occurrit, per modum Auctarij, Apothecæ adiunxi: ad quam per singulos dies te remitto. Scripsit Ioannes Molanus, Diarium de sanctis Medicis, sed qui artem medicam re ipsa exercuerunt, adeoque vix aliqua huic nostro proposito subministrare potuit. Ad cuius imitationem, si Deo & superioribus libuerit, postea, Diarium dabo, de sanctis Iuristis, siue Iure-consultis. Putant enim multi (quod ille, sed falsò, de secularibus Canonicis dicebat: *Canonicus & sanctus? non credo*) Iure consultos præter suam S. Iuonem vix alium sanctum patronum habere. Sed errant, & errorem quidem crassum. plures dabo, eosque maioris in Ecclesia notæ: quibus, si & eos, quos nosti, adiungere &

Celera;
isti ca-
es pec-

scripto communicare volueris, magni beneficij loco habeo, sicut & quęcumque Apothecę inseruire aut illius Diario possunt. Angustiã siquidem temporis constrictus, omnia in vnum opus colligere non potui. Quocirca dabis veniam si abortiuum quid, & nondum satis formatum, alicubi repereris. Canis enim festinans, cęcos nonnumquam parit catulos: maximę cum scriptorem sua scripta etiam fallant, prout Vrsam informes foetus.

Sed damus hanc alijs veniam, petimusque vicissim.
quod posterius nunc ego facio: tu quęso, prius.

Interim hos pręsentes Tutelares sacros, pro te meque inuoca, & remedijs Apothecę meę ceu salutaribus pharmacis, ad salutem animę & corporis feliciter vtere, & vale.

1

DIARIUM
ECCLESIASTICUM

De Sanctis contra pestem
Tutelaribus.

Kalendis Ianuarij.

Circumcisio Domini nostri Iesu Christi secundum
carnem, cum impositum est illi sacrosanctum
nomen Iesus.

A Joue principium, inquit eius cultor, gentilis poeta: nobis
verò, utpote veris Christianis, à vero Deo omne actionis
nostræ auspiciū esse debet; & mihi hīc erit. nam & in-
super ab Ecclesiastico scriptum reperio: *A Deo est omnis* Eccl. 38.
medela. ideoque Iesu Christo Salvatore nostro, vero Deo, veroque
homini primum ac principem locum tribuendum censeo inter sa-
cros hosce Tutelares. Ipse enim Saluator dictus est quia saluum fa-
ciet populum suum à peccatis eorum: sub quibus, eorumdem etiam
effectus & pœnæ, morbi scilicet & pestis, comprehenduntur.

Clamemus igitur tempore pestis in infirmitate constituti cum
propheta: *Propter gloriam nominis tui Domine libera nos, & propitiuse esto* Psal. 123.
peccatis nostris propter nomen tuum. nam, *Adiutorium nostrum in nomine*
Domini, quod qui inuocauerit, saluus erit. Ita nos idem docuit & ex-
emplo suo præiuit: *Tribulationem & dolorem inueni, & nomen Domini* Psal. 114.
inuocaui. Nisi enim, inquit Hieronymus, Dominus languorem cu-
rauerit, in vanum laborant medici qui cupiunt sanare languentes. ni-
si Dominus custodierit sanitatem, in vanum custodiunt qui etiam
præcepta custodiendæ salutis proprijs edunt libris; semperque di-
cendum est, non solum in corporis, sed etiam in animæ sanitate: *Be-* Psal. 108.
nedic anima mea Domino, qui sanat omnes infirmitates tuas.

A

Quo-

Diarij Medicor. c. 2. Quomodo autem Christus sit medicus & contra pestem Tutelarum, pulchrè inter recentiores Theologos, inquit Molanus, tractauit Ludouicus fidelis l. 4. de Militia Spirituali: Ipsum medicum qui vniuersis quantumuis grauibus ac periculosis medetur morbis, Christum suspice, de quo sublimi sermone Iob loquitur dicens: *Ipse vulnerat & medetur; percutit & manus eius sanabunt.* & paulò post: *In fame eruet te de morte, & in bello de manu gladij.* vnde Ezechiel sub Ezec. 47. typo quodam sic profert: *Non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus eius, & erunt fructus eius in cibum, & folia eius ad medicinam.* quæ indubiè tum corporibus, tum animabus sanandis plurimùm conducere deprehenduntur. Hic est certè medicus ille, qui hominem ab Ierusalem in Jericho descendentem, saucium ac semiuiuū relictum, Eccl. 38. benignè curauit. hic est vnguentarius, qui curans mitigat dolorem, & pigmenta facit suauitatis, & vnctiones conficit sanitatis, & non consummabuntur opera eius. Hic est certè qui vniuersos languores oleo delinit consolationis, gratiæ, pietatis ac misericordiæ. in cuius vnguentorum odore citissimè auidissimèque currunt omnes fortes Dei athletæ: cuius simbriâ vestimenti omnes malè habentes sanantur. Hic est insignis ille fluuius Dorix, in quo non solùm Naaman Syrus à lepra mundatur, non solùm quotannis vnus sanatur, sed vniuersi à suis sordibus continuò expurgantur, cunctisque infirmitatibus liberantur. Nec perperam hic fluuius nominatur Dorix, quoniam ab ipso omnis medicina, omnisque medela ac vtile pharmacum atque malagma copiosè profluit. dicitur enim, Dorix, generationis medicamentum. Hic est indubiè medicorum omnium absolutissimus, qui solo tactu, verbo, vel nutu languentes curat, claudoserigit, cæcos illuminat, frebre pesteque correptos sanat, sanguinem profluentem perstringit, saucios & mortuos ab Orco reducit, & (vt summatim dicam) vniuersis morbis ac vulneribus, quantumuis grauibus, affatim medetur. ita ille.

3.
Ianuarij.

Tertio Nonas Ianuarij.

Vide cap.
51. Apot.
Spir. fol.
249.

Lutetiæ Parisiorum S. Genouefæ virginis, quæ à B. Germano Antisiodorensi Episcopo, Christo dicata, admirandis virtutibus & miraculis claruit.

Mirum

Mirum forſitan alicui videretur, quare hanc Sacram Virgine-
nem Sacro Tutelarium horum choro inferuerim : ſed ra-
tionem ſupra ex Aub. Miræo dedi, qui ait, etiamnum apud
Parieſes Baſilicam S. Genouefæ extare, *Ardentium* di-
ctam, in qua durat remediorum contra peſtem memoria. Confir-
matque idipſum Iulius Scaliger, dum ita de hac Sancta Virgine
canit :

Non operi calx, non deſit ſitientibus humor :

Atque iterum fruitur lumine, dura parens.

Peſſima tabenti ſeuit qua corpore peſtis,

Deſicit ; & nitida lux ope ſulta ſubit.

Nimirum Domini fuerit qui exempla ſecutus,

Et maiora his, qua fecerit ille, dabit.

Est autem Lutetia, regni Francorum caput, ob luti quantitatem,
olim cum eius plateæ lapidum pauimento ſtratæ nondum eſſent, ita
denominata : quamuis alij ab albedine murorum, quam *λευκετιαν*
Græci nominant, dictam velint. quæ an Dionysium Areopagitam, an
alium aliquem eiusdem nominis, pro primo ſuo Apoſtolo olim ha-
buerit, non parua eſt controuerſia, cum nemo ante tempora Caroli
Magni & Ludouici Pij Impp. ſcriptis, quæ ad nos peruenerint, in-
quit Miræus, aſſeruerit S. Dionysium Pariſienſem, eundem fuiſſe qui
in Areopago, à Paulo Apoſtolo ad Chriſti fidem eſt conuerſus.
quinimmo omnes contra ſenſerunt, videturque fauere non modicè,
vetus Romanum Martyrol. quod Areopagitam ponit paſſum ſub
Hadriano, 3. Octob. Pariſienſem verò, gladio animaduerſum ſub
Felicennino, 9. Octob.

Sextodecimo Kalend. Februarij.

17.
Februar.

In Thebaide S. Antonij Abbatis, qui multorum
Monachorum Pater, vita & miraculis clarifi-
mus vixit : cuius res geſtas Sanctus Athanaſius
inſigni volumine proſecutus eſt. Eius autem ſa-
crum corpus ſub Iuſtiniano Impp. diuina reuelatione
reperit, atque Alexandriam delatum,
in Eccleſia S. Ioannis Baptiſtæ humatum fuit.

Vide cap.
14 Apot.
Spir. fol.
96.

A 2

Notiſſima

Notissima est huius sancti Tutela contra pestem & ignem sacrum, toto orbe decantata; ideoque de eâ plura dicere, superseco. vide caput de S. Antonio, in Apotheca. Quod ad nomen Abbatis attinet, hebræicum illud est, & Patrem significat. Hebræi enim patrem vocant, Ab. cui Chaldæi & Syri suo more in fine addunt, a, prout tradit Aluar. Pelagius. vnde deriuatum est nomen Aba, siue Abbas. quod nomen ab anachoretis primò cepit frequentari in Christiana religione, qui suos Judices, Præpositos seu Prælatos, nomine proprio, eoque amoris pleno, Abbates dixerunt, id est, Patres. Vnde rectè noster Philippus Haruengius, & ipse Abbas Bonæ Spei, secundum illud, *Nosce teipsum*, nominis huius nomenclaturam ita tradit: Abbas à paternitate nomen accepit. Abba enim hebraicè, latinè pater; & Episcopus, superintendens interpretatur: eò quòd non dominandi lenocinio super ceteros se extendere, sed proficiendi desiderio super curam eorum iubetur intendere, vt super subditos non extentus, sed intentus Episcopus habeatur: & erga eos non tyrannica regnandi libidine, sed paterna iuuandi sollicitudine teneatur. Nescit igitur Episcopari (addo & Abbatari) qui non superintendere, sed potiùs diligit dominari, qui assumpta præfulget dignitate, sed eandem iniuncta non munit sanctitate. ita ille. Ex quo patet, nomen Abbatis potius esse paternæ sollicitudinis, quàm honorariæ dominationis. Fuit igitur hoc nomen antiquitus tributum Prælatis seu superintendentibus, venerationis gratia, ab his qui se tamquam filios ab eis monastica disciplina edoceri, & paterna sollicitudine regi cernebant. Hinc tamen non sequitur, omnes esse stricti nominis monachos quibus Abbates præficiuntur. nam eo nomine, venire solet etiam Clericorum in commune viuentium præfectus, vt habetur in Concil. Turon. celebrato anno 813. capite enim 24. ita loquitur: Simili modo Abbates monasteriorum in quibus Canonica vita antiquitus fuit, vel nunc videtur esse, sollicitè suis provideant Canonicis vt habeant claustra, dormitoria &c. de talibus similiter Canonice Abbatibus agit Concil. Parisiense sub Ludouico & Lothario Imp. immò Chronicon Leodiense in Richario Episcopo enumerat 12. collegiarum Ecclesiarum Abbates. & notissimum est plurima Cœnobia Canonice Regularium S. Augustini, Abbates habere, vt vel Louanij in Æde S. Gertrudis omnibus patet, qui tamen propriè monachi non sunt. immò ipse Comes Hannoniæ, Abbas dicitur Canonice virginum Montensium. Habent

de planct.
Eccles. 1.
2. c. 23.

Epist. 13.

bent se igitur Abbas & Monachus, vt Logicè loquamur, vt excessa & excedentia, non vt conuertibilia.

Quòd autem aliqui Religiosi Ordines specialiter suis superioribus, Abbatis potius quàm Præpositi, Prioris, Rectoris &c. titulum tribuerint; forsitan id eo fine factum est, quod alia nomina, excellentiam, præminentiam, adeoque dominium aliquod innuunt, quæ omnia ex religiosa modestia quidam declinare volentes, Abbatis titulum assumpserunt, vt meminissent se suos subditos, tamquam filios paterno potius affectu debere diligere ac dirigere, quàm honorario dignitatis titulo ijs præesse: vtque vicissim ipsi subditi, tamquam veri filij, patribus suis filialem reuerentiam & obedientiam promptissimè exhiberent. Ideoque cum in exordio Ordinis nostri, Prælati, non Abbates, sed Præpositi secundum Regulam S. Augustini vocarentur (de quo vide Seru. Lairuel. mandato §. Opticæ Regul.) quasi hoc nomen, factum aliquem seu dominatum præ se ferret, illud abominantes, Abbatis titulum assumpserunt: non causa elationis, inquit Eugenius III. sed ad maioris religionis obseruantiam. Vnde mirum non est, si in pluribus Abbatijs Ordinis nostri per Germaniam, Austriam, Bohemiam, in picturis, codicibus & monumentis, supremos earum præfectos, non Abbates, sed Præpositos vocatos reperias, qui tamen Abbatialibus gaudent priuilegijs. id enim contigit inhærendo Regulæ S. Augustini, secundum quam Præpositus is dici deberet, qui hodie Abbas, aut Prior Conuentualis; quo mediante vel tamquam cooperatore Clericos suos regebat Episcopus. Monialibus enim, quibus hæc Regula scripta fuit, Præposita erat ipsa mater monasterij. Presbyter, qui eis ab Episcopo destinabatur vt pastor & superintendens; vel ipse etiam Episcopus.

Tertiodecimo Kal. Februaryj.

Jan. 20.

Romæ ad Catacumbas S. Sebastiani martyr, qui Diocletiano Imperatore cum haberet principatum primæ cohortis, sub titulo Christianitatis iussus est ligari in medio campo, & sagittari à militibus, atque ad vltimum fustibus cædi, donec deficeret.

Vide cap.
16. Apot.
Spir. fol.
105.

Gloriosissimi huius Martyris integra manus, per Lotharium Treuirensis Archiepiscopum, dono missa est Alberto Pio Austriaco Belgarum Principi, qui illam adamantibus, gemmis, aureoque tabernaculo decorauit, asseruaturque Bruxellæ in Palatio magna veneratione. ita Miræus in Fast. Belg. Qualis autem consueuisset esse Titulus Christianitatis sub quo ductus hic memoratur S. Sebastianus, ita exemplo demonstrat Euseb. hist. l. 5. c. 1. Cum undique per amphitheatrum circumduceretur Attalus Martyr, tabula, in qua latinis litteris hæc erat inscriptio, præcedente: *Hic est Attalus Christianus.* &c. Præcedere solebat eiusmodi titulus ut docet Suetonius in Caio cap. 32. his verbis: Manibus abscissis atque ante pectus à collo pendentibus, præcedente Titulo qui causam pœnæ indicaret, per cœtus epulantium circumducebatur. Frequens namque apud gentiles, teste Tertulliano, erat aduersus Christianos conclamatio: *Christiani ad leonem. Christiani ad bestias.* Solo siquidem Christiano nomine fuisse insignitum, sufficiens plus quàm ad mortem inferendam eis erat materia.

Baron. in
Martyr.
hoc die.

Catacumbæ autem, siue Catatumbæ, quarum hic fit mentio, erant cryptæ siue loca subterranea, in quibus, sæuientibus Imperatoribus, Christiani latebant ac sepeliebantur. in ea enim loca cum precum causa, siue declinandæ persecutionis gratia, consueuissent frequenti cœtu Christiani conuenire, magis magisque Gentilium furor sæuire atque grassari solitus fuit, ut scribit Tertul. in Apolog. & Minutius Felix in octauio. Sunt autem hæc Catacumbæ adeò Romæ in honore & pia populi veneratione, ut videre sit multos prostratos ipsam terram, ipsa pauimenta, quæ olim calcarunt sanctorum pedes, demissè exosculari, suspiria & gemitus in cœlum emittere, ut refert oculatus horum testis belga noster Pater Cornelis à Lapidè. Sciat itaque Ecclesiasticæ antiquitatis amator, cum de antiquis in agro Romano cœmeterijs, quæ tribus primis sæculis, sanctorum corpora, velut fidei hospitio exceperunt, agitur; nequaquam similia hodiernis cœmeterijs, quæ ædibus sacris adiacent, suntque subdualia, animo fingenda esse: (nec enim tunc in propatulo passim templa erant, neque persecutionum tempestas continua, quæ ad Constantinum Magnum vsque sæuijt, eiusmodi loca permisisset) verum,

rum, vt dixi, subterranei recessus erant, & ingentes quædam caueæ aut cellæ, quæ processu temporum auctæ sunt, & in ædiculas, in porticus & ambulacra, diuisæ. In quibus non tantum qui Christianè obdormierant, sepeliri; (ideoque à Græco verbo κοιμᾶω, id est, dormio, Cæmeteria, hoc est, dormitoria, nūcupata fuerunt) sed etiam qui propter Christum infestabantur, abscondi, & qui sacris interesse aut operari, alijsue pietatis Christianæ exercitijs, intendere vellent, cum minori periculo versari possent. Tales enim sibi latebras, Judæos cum ad necem quærerentur, sub humum effodisse, testatur Dio in Hadriano Imperatore. Vetustissimum omnium ab Onuphrio recensetur, Ostrianum, in via Salaria, tertio ab vrbe lapide, in quo Beatus Petrus multos baptizasse dicitur. Sicuti & S. Urbanus Valerianum Cæciliæ Sponsum, in huiusmodi crypta seu Cæmeterio baptizauit, in via Appia sito. ita enim in Breuiario legimus: Quare hortatu Virginis (Cæciliæ) ad Urbanum Papam, qui propter persecutionem, in Martyrum sepulcris via Appia latebat, veniens, ab eo baptizatur. Inter celeberrima verò, fuerunt Vaticanum, S. Calixti, & S. Priscillæ. de quo posteriori ita Baro: Mirabile dictu, vidimus, sapiusque lustrauimus Priscillæ cæmeterium, haut pridem inuentum atque refoffum, via Salaria, tertio ab vrbe lapide, quod nullo magis proprio vocabulo dixerimus, præ eius amplitudine, & multis atque diuersis eiusdem vijs, quàm subterraneam ciuitatem. quippe quod in ipso ingressu, primaria via ceteris amplior pateat, quæ hinc inde diuersas vias habeat, easdemque frequentes, quæ rursus in diuersos viculos diuidantur & angiportus. rursus vt in ciuitatibus, statis locis, velut fora quædam, ampliora sint spatia, ad conuentus sacros agendos, eademque Sanctorum imaginibus ornata; nec desint, licet nunc obstructa, ad lumen recipiendum desuper excisa foramina. Obstupuit Vrbs, cum in suis suburbijs, abditas se nouit habere ciuitates, Christianorum, tempore persecutionis, Colonias, modò autem sepulcris tantum refertas; & quod legebat in chartis, vel videbat ex alijs cæmeterijs, aliqua solum ex parte reclusis, tunc plenius intellexit. ita Baro. Cui conformia sunt, quæ narrauit & scripsit Angelinus Gazæus, Societatis I B S V sacerdos Belga, eiusdem cæmeterij anno millesimo sexcentesimo vndecimo, lustrator, cui propter multiplices viarum anfractus, filo

Baro.
to. 2.

duce,

duce, tamquam in labyrintho utendum fuit. quem tu consule, eiusque collegam Petrum Hallosium, in Triumpho sacro S. Terentiani, Duaci, anno 1615, edito, & Aub. Miræum in fastis Belgicis.

Exemplo cryptarum veterum Romanarum, maiores nostri multas olim in Belgio cryptas ædificarunt; cum orationis seu sacrorum conuentuum, tum sepulcrorum causa, quæ sub vetustioribus templis hodieque spectantur, ut Leodici ad S. Petrum & S. Crucem. Traiecti ad S. Seruatium. Laubijs in templo parochiali. Namurci ad S. Albanum, & S. Mariam, & in Orpio magno eiusdem diœcesis pago, ubi Alpais ex concubinâ Pipini Heristallij conuersa, sæpius orasse traditur, & pœnitentiam egisse. Gandavi ad S. Bauonem, quam diuersis altaribus & concionatoria cathedra adhuc nuper ornatam vidi. Anderlaci iuxta Bruxellam, ad S. Guidonem. Antuerpiæ ad S. Walburgam. Duaci ad S. Petrum, & alibi varijs in locis.

FEBRUARIUS.

Quarto Nonas Februarij.

2. 20. 8

Februar.

Vide cap.

11. Apot.

Spir. fol.

78.

Sigeb. in

chron.

anno 542.

Purificatio B. Mariæ virginis, quæ à Græcis Hypapante Domini appellatur.

Specialis quidem ratio est, hac die potissimum Tutelam beatissimæ virginis Deiparæ contra pestem inuocandi, eo quod in Oriente occasione sedatæ mortalitatis quæ Constantinopolim dirissimè depopulabatur, Iustiniani temporibus hæc festiuitas in honorem sanctissimæ virginis sit instituta: verum quia ipsa præ reliquis omnibus sanctis in cunctis necessitatibus est hominum fidelissima & potentissima Patrona (cum eius potestas in sola etiam sanitatis causa ijs tantummodo ignota sit, qui ea quæ miridiano sole sunt detecta profus cernere nolunt, nec ea credere quæ vident vel audiunt in omnibus totius orbis partibus Indies contingere) ideo singulis eius festiuitatibus in Martyrologio adnotatis, sacram eius memoriam hîc etiam adnotabo, ut in iisdem quoque Tutelam eiusdem imploremus. Licet enim singulis diebus paratissima sit suis clientibus deuotè eam inuocantibus, patrocinium exhibere: festiuis tamen diebus in honorem eius specialiter institutis, ut & reliqui sancti,

Et, diebus sibi proprijs, peculiari modo solet id præstare; nam in iis dat supplicanti- bus, ut ita dicamus, plenissimam audientiam, cum & ipsa tunc singulares à filio suo recipiat prærogatiuas: eum ad modum quo principes huius sæculi dies sibi natales peculiaribus gratijs solent priuilegiare; neque suos tantum, sed & coniugis ac filiorum. Dies namque Sanctorum, quibus de sæculo transferunt, Natales eorum solet appellare Ecclesia; quomodo enim vsitato modo dicitur nasci, quando quis ex utero materno procedens in hanc lucem exit; sic quoque iure natus appellari potest, qui liber ab huius sæculi tenebris, ad lucem pertingit viuentium. Vnde rectè Sanctorum solemnia, non funebria tamquam morientium, sed (utpote in vera vita nascentium) Natalia vocitantur, ut inquit Nicol. Papa ad consulta Bulgarorum c. 5.

Pridie Kalend. Martij.

Alexandriæ commemoratio Sanctorum Presbyterorum, Diaconorum, & aliorum plurimorum, qui tempore Valeriani Imperatoris, cum pestis sæuissima grassaretur, morbo laborantibus miniffrantes, libentissimè mortem oppetiere, quos velut Martyres religiosa piorum fides venerari consuevit.

25.
Februari.
Vide cap.
55. Apot.
Spir. fol.
261.

FVit Alexandria celeberrimum & frequentissimum Collegium plurimorum Clericorum, quos ad sexcentos Theodosius II. Imp. extendit, qui ægrotantium curæ deputati erant, & dicti Parabolani, ut eisdem idem Imp. nuncupat: vel ut habet Iulius Firmicus, Parabolarij, siue, Paraboli, ut est apud Socratem, & ex eo, apud Cassiodorum, à voce scilicet Græca, παράβολος, qua significatur homo ad subeunda pericula præceps, quales putabantur, qui curæ omnis generis ægrotantium, pestis quoque tempore præessent. De quo Collegio plura vide apud Baron. anno 415. atque ex hoc aut simili, putantur plerique illi Clerici fuisse, quorum hic in Martyrologio fit mentio; qui ex charitate eiusmodi officio erant adscripti, qua nulla maior videri poterat, cum

B

poneret

L. 2 de
lapſu Fra-
terni Roſ.
c. 15.

poneret quis animam ſuam pro amicis ſuis. Ad quorum exemplum, diuerſæ poſtea inſtitutæ ſunt Confraternitates & Ordines Religioſi, eidem fini deſeruientes, vt, præter eos, quorum alibi ſparſim mentionem facio, Ordo Hospitalis S. Spiritus in Saxonia, curandis infirmis erectus, de quo vide Ciacon. in Alexandro III. & Onuphr. anno 1201. Ordo Seruientium infirmis paupertinis, per B. Joannem cognomento Dei, inchoatus circiter annum Domini 1372. De Prædicatoribus ſuis, & de Franciſcanis, ita ſcribit Ioan. Andreas Coppenſtein: Cum omnium Ordinum omnia pænè Cœnobia vel exhauſiſſet peſtis (illa ſcilicet memorabilis, quæ anno 1349. per totam Europam deſcendiſſet) vel Schiſma diſtraxiſſet, Prædicatores tamen vel maximè, atque D. Franciſci Fratres ea lues depaſta eſt, eo quod hi in partem Parochorum veniſſent, & ex charitate voluntarij in mortem glorioſam, pro ouibus uiſſent. Ipſi enim ægris prouidebant à Sacramentis; aderant morientibus, & priùs vitam ſuam quàm charitatem proximi deſerebant: idque tanto cum zelo atque conſtantia martyrum ſimili, vt orbi paſſim Fratribus Conuentus, deſertique ſtarent. ita antè pænè expirarunt omnes in ſancto labore, quàm peſtis expiraſſet. Ex vno iudicium fiat, exempli & miraculi cauſa, ex Alberto Krantzio ab eodem ſubiectum. Annuſerat 1351. cum grandis ſcuiſſet per Germaniam epidemia. audiuit Lubecæ in Conuentu Prædicatorum, quidam Frater qui curam habebat coquinæ, nocte cum dormiret, ſtrepitum in domo hospitali, & vocem loquentis ad fenestram coquinæ: Coce, para cibum abituris Fratribus. Cui ille: Quot ſunt tranſituri? tum alter: Triginta ſex de Conuentu, & duo aduenæ cum illis profecturi. Miratus cocus de intempèſtæ noctis cibo, nihilque tale ſibi à Priore dictum fuiſſe, phantaſma credidit. At poſtea curioſitate ductus, & de lecto ſurgens, per foramen inſpicit domum hospitali. Videt aſſidere in albis numerum fratrum quem audierat, velatis frontibus, vt fieri ſolet iam tumulandis. horrens de viſionis forma, redijt ad ſtratum, nec erat cui rem detegeret. Sed cum euentus omnia probaſſet, funeratis 36. de Conuentu Fratribus, & duobus qui de Hamburgo venerant, iam palam edixit, quid ante vidiffet. ſcilicet,

Vita perit, mortis gloria non moritur.

Fuit & hæc peſtis cauſa, cur poſtea Ordo Dominicanus diuiſus fuerit in Obſeruantes, & non Obſeruantes. Quæ latius apud eundem Coppenſtein vide.

Eodem

Eodem die V Vigornia in Anglia, depositio S. Osvaldi eiusdem ciuitatis Episcopi, qui miraculorum gloria in diebus carnis suæ conspicuus, etiam post mortem eadem coruscavit, dum inter cetera, grauissimam pestem à diocesi sua V Vigorniensis propulsauit.

Vide cap.
37. Apot.
Spir. fol.
194.

Item Papiæ Translatio corporis S. Augustini Episcopi ex Sardinia Insula, opera Luithprandi Regis Longobardorum.

Vide cap.
23. Apot.
Spir. fol.
134.

Non frustra hic prædictam Translationem S. Augustini ex Rom. Martyrologio desumptam adiungo, ipse enim Papiam, quò hac die translatus est, à grauissima peste liberauit, atque integram Italiam multis beneficijs frequenter affecit, vt fufius in Apotheca mea ostendi. Contigit verò hæc Translatio ann. circiter 725. extatque de ea epistola pulcherrima totius rei gestæ historiam continens, Petri Oldradi Archiepiscopi Mediolanensis ad Carolum Magnum, vbi sollemnissimam pompam, qua Luithprandus Rex sacrum hunc thesaurum Papiam introduxit, describit, & miracula quæ in eadem contigerunt, commemorat. Sciendum porro Præmonstratenses ac Canonicos Regulares die 11. Octobris aliam eiusdem S. P. sui celebrare Translationem, nempe eam quæ contigit anno 504. quando sacra eius ossa in Sardiniam ex Hipponeregio delata fuerunt, cum à Trasamundo Wandalorum rege Arianò & tyranno crudelissimo (qui teste Chrysostratio, gaudebat ac exultabat fuso cruore Episcoporum & sacerdotum) Africani Episcopi relegati essent in prædictam insulam, procurante id in primis S. Fulgentio Ruspensi Episcopo: quo tempore non tantum corpus, sed mitram eiusdem & baculum pastorem ed transtulerunt. Quæ omnia Sardi exceperunt magno cum gaudio ac honore in ciuitatem Calaritanorum, inque Ecclesia totius ciuitatis primaria deposuerunt. Constat etiam hoc ipso tempore, inquit Lancilottus, superesse Calari in Sardinia trabem quæ diuinitus excreuit cum breuior esset quam vt ab vna parte Sacelli (ædificabatur hoc iuxta D. Augustini

In vita S.
Aug. c. 71.
l. 3.

sepulchrum) ad alterum latus extendi posset; quæ quotidie in partes diuisa, maximè pro febricitantibus, non imminuitur, nec minimum decrefcit, fimilitudine Crucis Dominicæ, in qua idem miraculum dudum apparuit. Mitra autem ex linteo dumtaxat albo confecta, hodieque Valentia apud Eremitas Augustinianos afferuatur: sicuti venerandum eius caput in Archicænobio nostro Præmonstratenfi in Francia, quod diebus solemnioribus in supplicatione circumferretur; quo in loco olim Sanctissimo P. N. Norberto auream suam è cælo Regulam præmonstrauit, prout Christus sacram Ædem, & Sanctissima Deipara candidum habitum, de quibus hi extant versus:

*Aurelius dat auream Legem. Ordinis
Spondetur Author calitur. dat Candidam
Maria vestem. Crux, locum Ædis prænotat:
Et esse Præmonstratus Ordo nisi hic potest.*

M A R T I V S.

Sexto Nonas Martij.

2.
Mart.

Vide cap.
56. Apot.
Spir. fol.
267.

In Anglia S. Ceaddæ Episcopi Merciorum & Lindisfarnorum, cuius præclaras virtutes Beda commemorat.

DE eo scribit Beda histor. de gest. Angl. 1.3.c.28. & 1.4.c.3. ubi agit de eius obitu. idem in epitome recenset eius ordinationem anno Domini 664. Claruit, ut idem scribit, temporibus Vitaliani Pontificis.

12.
Mart.
Vide cap.
31. Apot.
Spir. fol.
170.

Romæ S. Gregorij Papæ & Ecclesiæ Doctoris eximij, qui ob res præclare gestas atque Anglos ad Christi fidem conuersos, Magnus est dictus, & Anglorum Apostolus appellatus.

Quod

QUOD hîc dicitur de conuersione Anglorum, intelligendum venit, non quasi ipse in propria persona eos conuerterit ad fidem Christi, sed quia eò destinauit S. Augustinum in monasterio suo Romano Abbatē, cum quadraginta ferme socijs, qui Edilberthum regem Cantiorum (hodie Cantuaria dicitur) cum tota sua gente baptizauit, & Christianæ fidei doctrina instruxit, anno circiter 590.

Quod enim diuinitus quasi impeditus, quia ad maiora reserua-
batur, per se exequi non potuit, per S. Augustinum postmodum
perfecit. Diuinitus, inquam, quia vt narrat Ioannes Diaconus in l. 1. c. 21.
eius vita, cùm Romæ venales in foro videret pueros candidos & 23. & 24.
venustos, sed Paganos, Paganorum filios, ingemiscens, rogauit quo
nomine vocarentur? Mercator respondit, Angli vocantur. at ille:
Benè, inquit, Angli quasi Angeli, quia Angelicos habent vultus,
& tales Angelorum in cælis decet esse conciuēs. Iterùm ergo inter-
rogat quod nomen haberet ipsa Prouincia? Mercator respondit,
Prouinciales illi, Deiri vocantur. & Gregorius: Benè, inquit,
Deiri, quia de ira sunt eruendi, & ad Christi gratiam conuocan-
di. Rex ait illius prouinciæ, quomodo nuncupatur? Mercator
respondit: Aëlle vocatur. & Gregorius alludens ad nomen, dixit:
Benè, quia rex dicitur Aëlle; Alleluia enim in laude Crea-
toris in partibus illis oportet decantari. Quocirca ipse in An-
gliam à Benedicto Pontifice mitti petijt, & impetrauit. Verùm
cùm in Angliam pergeret, in loco quopiam quiescens & lectitans,
superueniens locusta coëgit eum paululum à legendo quiescere,
& ex consideratione nominis, docuit eum in eodem loco re-
stare debere. Tunc fertur dixisse: Locusta, inquit, dici potest,
quasi, loco stat. Et ecce mox superuenientes Legati à Pontifice
missi, eum redire compulerunt; populus enim Romanus id à Pon-
tifice petierat, immò extorserat, dicendo ei: *Petrum offendisti, Romam
destruxisti, quia Gregorium dimisisti.* Nimirum Deus eum non Angliæ,
sed totius Ecclesiæ Doctorem & Rectorem destinabat. quocirca ipse
paulo post creatus est Pontifex, ac mox S. Augustinum, vt dixi, in
Angliam destinauit.

Reliquas tanti Pontificis heroicas planè res gestas, vide apud Ba-
ronium per singulos annos accuratè recensitas. Stupendum certè,
hominem tam frequentibus infirmitatibus afflictatū, ad eò indefesso

studio pro Ecclesia Dei semper potuisse laborare : inter quas familiaris erat illi , inquietum illud malum, podagra, qua sapissimè grauius valde cruciabatur. Certè, inquit Baronius, si numerandos suscipias sanctitate celebres homines qui podagræ morbo afflictati sunt, copiosum conficies catalogum. Quò redarguas eos, qui voluptuosos ex podagræ doloribus arguunt homines. Ad B. Olympiadis nuptias vocatus Gregorius Nazianzenus, dolore podagræ excusat se fuisse impeditum. eadem grauius vexatus fuit S. Leander Hispalensis Episcopus S. Gregorio admodum familiaris, alijque quàm plurimi, & quàm sanctissimi.

Sextodecimo Kalend. Aprilis.

17.
Mart.

Niuigellæ in Brabantia S. Gertrudis virginis, quæ clarissimo genere orta, despiciens mundum, & toto vitæ suæ cursu in omnibus sanctitatis officijs se exercens, Christum sponsum in cœlis habere meruit.

Vide cap.
48. Apot.
Spir. fol.
243.

ITa Martyrologium Romanum, quod meritò eam dicit clarissimo genere ortam, nam patrem habuit Pipinum Landensem, quem primum Ducem Brantiæ, ex Maiore-domus Franciæ nuncupant. Dixi in Apotheca mea, solere maiores nostros aquam ex puteo eius haurire, eaque contra mures, domos & agros suos aspergere: idem cum fructu fieri consuevit Augustæ Vindelcorum, per cineres ex tumulo S. Vdalrici Episcopi desumptos, vt Marcus Velferus in notis ad illius vitam obseruauit.

Porro sunt & aliæ in Belgio nostro huius nominis & sexus Sanctitatis opinionè celebres, vt Venerab. Gertrudis Oistensis, Delfis in Hollandia Beggina, quæ ob singularem erga Christum passum pietatem, eius stigmatibus insigniri meruit, obiitque ibidem anno 1358. cuius encomium extat in fasciculo temporum ad an. 1374. & in vernaculis Hollandiæ chronicis. item S. Gertrudis Adalbaldi Ducis Duacensis auia, quæ post mortem Rigomari coniugis sui monasterium in Hamatico ædificauit, cui ipsa præfuit, & vbi anno 655. viuere desijt. translata postmodum ex Hamaticensi Cœnobio, ad Marchia-

Marchianense S. Rictrudis, vnà cum S. Eusebia eius pronepte, quam educauerat & in regimine succedentem habuit. Sororem æque Sanctam, nostra Gertrudis habuit, Beggam nomine, Abbatissam Andenensem; à qua nonnulli volunt esse dictas, quas hodie Begginas vocamus. Licet alij à Lamberto Beguio, pio Sacerdote Leodiensi, qui vixit anno 1170. eas deriuent. de qua re, vide Miræum in Chronico Cisterciensi.

Octauo Kalend. Aprilis.

25.
Mart.

Annuntiatio Beatissimæ virginis Dei genitricis
Mariæ.

Vide cap.
11. Apot.
Spir. fol.
78.

Saluberrimum medium, & gratissimum obsequium ad promouendam sibi huius virginis tutelam contra pestem, erit, si frequenter eam hoc die salutemus eximia illa salutatione, qua hodie ab Angelo salutata fuit. Licet enim omni die saluatio angelica ei sit acceptissima; hodie tamen magis quàm aliàs; sic enim gaudium illud magnum quo tunc affecta fuit, ei reficamus, & gratulatorio quasi modo singularem illam prerogatiuam, qua in Matrem Dei est electa, ex parte nostra confirmamus, & ratam ac firmam vouemus. Neque dubitandum quin toties à nobis deuotè salutata, per impetrationem gratiæ resalutabit, & pro tot, *Aue*, vnum nobis dicet infirmis, *Vale*.

Agebatur autem olim in multis Ecclesijs hæc solennitas, 15. Kalend. Januarij, ea nimirum ex causa quod Quadragesimæ tempus (in quam ordinariè incidit) luctui potius & mærori deberetur, vt appareret ex Concil. Laodicensi c. 51. idque Toletana Synodus decima, in Hispania faciendum esse indixit can. 1. quod etiam in alijs Ecclesijs agi consueuisse testatur. atque inde puto remansit consuetudo, vt circa ea tempora, vbique fere in Ecclesijs celebretur hoc mysterium, cum Missa quam vocant, De gulde Misse, id est, Missa Aurea. In Ecclesia verò Toletana vocatur, Festum Commemorationis Domini-cæ Annuntiationis, siue, Expectatio partus virginis, vel, *Neustra Señora de la o*, vt fuse & pulchrè ostendit Illephonfus Giron Dominicanus Presentatus; qui & addit, hac ipsa nocte S. Ildefonsum Episcopum Toletanum ob susceptam defensionem aduersus hæreticos Dei genitricis

Baron. in
Mart. ad
25. Mart.

In præp.
concion.
festiual.

nitricis virginitatem impugnantes, ab eadem candidissima veste in Ecclesia fuisse donatum. Instituit verò in honorem Virginis Annuntiatæ nouum Ordinem B. Ioanna Ludouici 11. filia, & Ludouici 12. Regum Galliaë repudiata vxor anno 1501. quem iam toto Catholico Belgio feliciter dispersum videmus; habuitque primum hîc Monasterium Bethuniaë in Artesia, ab Isabella principe d'Espinoÿ anno 1517. ædificatum.

Quinto Kalend. Aprilis.

28.
Martij.
Vide in
cap. 8. †
Apoth.
Spir. fol.
64.

Cabilone in Gallijs S. Guntramni Regis Franciaë, qui spiritualibus actionibus ita se mancipauit, vt relictis sæculi pompis, thesauros suos pauperibus & Ecclesiaë erogaret.

ITa Martyrolog Roman. ex Gregorio Turonensi l. 76. de gloria Martyrum: qui insuper multa sparsim de eo refert, in historia Francorum, vt l. 9. c. 21. & l. 4. c. 24. ex quibus nos quædam superius in Apotheca narrauimus, ac potissimum, quomodo Masfiliam à lue inguinaria largissimis eleëmofynis suis, tamquam rex: tamquam sacerdos verò, indictis publicis rogationibus, alijsque pietatis operibus, liberauerit. tamquam sacerdos, inquam; quia vt benè Constantinus Magnus: *Reges extra fores Ecclesiaë, Episcopi esse debent.* neque enim solùm ciuilem politiam, sed & Ecclesiasticam procurare debêt; atque in hac alios tantum præcedere pietatis operibus, quantum ijsdem præeminent dignitatum titulis. nam:

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Testimonio nobis erit sola Anglia, quæ ante infaustum illud scisma, sub Henrico Octauo Catholico, Catholica mansit. eo deficiente, defecit ipsa pariter, & in hæresim prolapsa est. Successit postea Maria, Regina pijsissima, & cum hac, denuò auitam Religionem recepit Anglia. qua mortua, veterinosam hereseos, qua se expoliauerat, tunicam reassumpfit, & lotos Christi Sacramentis pedes, rursus coinquinauit. quos vtinam aliquando abluant, eum rogo, qui hodie in Jordane, dum hæc scribo, à Baptista suo dignatus est baptizari. Sanè quid

vnius

vnius principis possit apud subditos pietas, docuerunt nos olim Constantini, Theodosij, Tiberij, Honorij, Stephani, Ethelredi, & non pauci hodie, in Orbe nuper noto, Reges.

A boue maiori, discit arare minor.

Et si forte prius ex timore: superueniens tamen postea amor, hunc expellit; & voluntarium facit, quidquid ante erat minus tale.

Moritur autem S. Gumtramnus, iuxta Sigeberti calculum, anno Christi 597. sepultus in Basilica S. Marcelli, quam in suburbano Cabillonensi erexerat. Estque Cabillonum, vel Cabullinum, & nunc, Catalaunum, oppidum Heduorum, inter Celtas ad ripas Araris fluvij, Matisconæ finitimum, in prouincia Lugdunensi, Ducatu Burgundia, & Francorum regno situm, vulgo, *Chalons sur la saone*. ita Carolus Stephanus in dictionario Geographico.

A P R I L I S.

Octauo Idus Aprilis.

6.
April.

Constantinopoli B. Lutchij eiusdem ciuitatis
Episcopi, qui ui apud Deum pro commisso sibi
grege intercedendo, à grassante contagione cum
suis precibus liberauit.

Vide cap:
25. Apot.
Spir. fol.
142.

PLura his similia exempla in Apotheca mea sparsim protuli, è quibus patet quàm grata & efficax sit apud Deum superiorum pro subditis deprecatio, cum eam sic Deus soleat exaudire.

Et certè teneri superiores Ecclesiasticos, etiam extra casum huiusmodi necessitatis, pro suis subditis quandoque orare, patet ex Concilio Trident: Præcepto diuino omnibus qui animarum curam gerunt mandatum est, pro suis ouibus sacrificium offerre. Vnde quidam probabiliter deduci putant, Missam parochialem in festis & Dominicis diebus, debere per Pastorem aut alium pro populo fieri. Quod an de primario sacrificij fructu intelligendum veniat, ut hic scilicet subditis applicari debeat, vide Suarez & Regium in tract. de Sacrificio Missæ. Certius est, eum sæpius teneri pro eis orare & quandoque sacrificare, nam ut inquit Apostolus: *Omnis Pontifex ex*

Seff. 23.
de refor.
c. 1.

Heb. 5.

homi-

C

hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his que sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis; id est, ut causam hominum apud Deum agat, tamquam mediator eorum, pro eis que oret & interpellet, orationibus & sacrificijs Deum placet & reconciliet.

Decimo Octavo Kalend. Maij.

14.
April.

Schidami in Hollandia B. Liduinæ virginis, quæ ægritudines varias easque grauiissimas miro patientiæ exemplo annis triginta octo sustinuit.

Huius virginis Hollandicæ in Apotheca mea inter sacras Tutelares non memini, quia eam pro tali habendam tum ignorabam: sed postmodum instruxit me & pro ea locum postulat in Fastis suis Belgicis, R. D. Aub. Miræus, qui ad diem 14. Aprilis ita scribit: Ossa piissimæ virginis *Albertus & Isabella* Belgarum Principes, Schidamo Hollandiæ oppido, Bruxellam secretò transferenda curarunt, ne à Calvinianis violarentur. De qua translatione extat diploma *Matthiæ Houij* Mechliniensis Archiepiscopi. quod ibidem adtextitur; ac post illud, hæc subiungit: Dicta B. Liduinæ ossa, argenteæ arcæ inclusa, in suo oratorio domestico, Serenissima *Isabella Clara Eugenia* Hisp. Infans adseruat: ex quibus os vnum prægrande, Cruci argenteæ, ac vitro cristallino inclusum an. 1616. ab eadem Infante, eiusque marito *Alberto Pio*, per me Aub. Miræum, dono missum est illustri nobilium virginum Canonicarum Collegio Montensi in Hannonia (quæ vrbs lue tunc pestilenti laborabat) & die 14. Septemb. collocatum ibidem in basilica S. Walde-trudis, per Henricum Franciscum Busignium Abbatem S. Dionysij, vniuerso Clero, Senatu ac populo comitante. Nec pietati merces defuit; cessante nimirum ex eo tempore epidemia. hætenus Miræus. Ex quo patet, non solum per reliquias S. Macarij, sed & B. Liduinæ, à memorabili illa epidemia Montenses anno 1615. & 1616. fuisse liberatos, sollicitam curam pro subditis suis, Principibus nostris agentibus. Neque enim Princeps noster solummodo ciuium Montensium Comes est, sed & Collegij Canonicarum virginum Abbas, Iudex, & Aduocatus.

Habuit autem Schidami intra parochialem Ecclesiam B. Liduinæ
sacellum.

facellum per honorificum, in qua, historia vitæ eius depicta cernebatur, atque in conuentus Sororum S. Francisci, altare consecratum versus occidentem, eo in loco vbi lecto decumbens, Deo in hac vita seruijsse fertur. verū per tumultus Belgicos, omnia nuper euerfa sunt. Est verò Schidamum oppidum Hollandiæ, à Schiamne dictum, ad primum lapidem à Roterodamo situm; vbi egregia nauium piscatoriarum, & negotiationis halecariæ statio est.

Decimo Kalend. Maij.

27.
April.

Anastasiopoli S. Theodori Episcopi, miraculorum gloria celeberrimi, qui homines & iumenta à peste sapius curauit.

Vide cap.
27. Apot.
Spir. fol.
149.

Hic est ille celebris Archimandrita cognomēto Sicæota, cuius acta sincerissime scripta à Georgio eius discipulo recitat Metaphrastes, ex quo ea habet Surius hac die. quem tu vide.

Tertio Kalend. Maij.

29.
April.

Romæ S. Catharinæ virginis Senensis, Ordinis S. Dominici, vita & miraculis claræ, quam Pius secundus in Sanctarū virginū numero adscripsit.

Vide cap.
48. Apot.
Spir. fol.
240.

Acta eius nobilissima scripsit B. Raimundus Capuanus Ordinis Prædicatorum Magister, agitque de eadem pluribus S. Antoninus. Vnicum verò quod sciam Monialiū Ordinis Dominicanici Cænobium in Brabantia hactenus extat, Audergemium scilicet ab Aleide Henrici III. Brabantiæ Ducis coniuge extractum, milliari vno à Bruxella distitum, haud procul à Rubra valle Canoniorum Regularium celebri Cænobio.

Exemplo huius sanctissimæ virginis stigmatibus Christi insignitæ, etiam plures Belgicas virgines stigmaticas habemus, vt B. Brigidam Hollandam teste Antonio senensi, quæ floruit anno 1390. B. Gertrudem Oistensem, & B. Liduinam Schidamensem, de quibus Miræus in Fast. Belg. 1. Augusti, & nos supra.

C 2

Quinto

3.
Maij.

In Monasterio S. Mariæ de la Cruz, in Hispania, Natalis gloriosæ virginis Ioannæ de la Cruz, quæ postquam miraculosas indulgentias, etiam contra pestem, è cælo impetrasset, ab Angelo vocata, inter passionis Dominicæ lectionem, ad sponsum euolauit.

Vitam huius virginis scripsit P. Cornelius Thielmans, in qua pulcherrima lectu, & stupenda supra infirmum illum sexum, reperies. Per virtutem benedictorum granorum, plurimi sæpè à peste liberati fuerunt, atque inprimis Anna de Lero, uti narrat idem author; cuius librum, quia ubique prostat, tu vide. Illud notabile de hac virgine refertur, quod 3. die Maij sit nata, 3. item die Maij per professionem Deo renata, 3. denique die Maij per mortem mundo denata.

M A I V S.

*Septimo Idus Maij.*9.
Maij.
Vide cap.
10. Apot.
Spir. fol.
115.

Gandavi eleuatio S. Macarij Antiochenæ sedis Archiepiscopi, virtutibus & miraculis clari, qui sua morte, Deo iam placato, pestiferum ignem in eadem ciuitate restinxit.

Quamuis hic celeberrimus contra pestem Tutelaris diem obitus sui habeat 10. Aprilis, quo & passim in Martyrologijs commemoratur; visum tamen fuit eum hoc die ponere, quando Gandavi an. 1067. corpus eius omnino integrum eleuatum fuit à Balduino Notiomensi, & Lietberto Cameracensi Episcopis, Philippo Francorum rege, Balduino Insulano Flandriæ Comite, eiusque filio Balduino Comite, & alijs proceribus adstantibus: celebraturque Gandavi celebrius hæc dies eleuationis, quam depositio

depositionis; tum quod dies depositionis fere incidat in tempus Quadragesimæ aut Paschæ, tum quod eleuatio magna claruerit gloria, solennitate & miraculis.

Est verò Gandauum siue Ganda totius Flandriæ Metropolis, & Caroli V. Imperatoris natalitio illustris, sita ad coitionem scaldis & Lizæ, ad cuius ripam extructi noui castri ab Othone primo Imperatore anno 949. *Vvicmannus* primus Comes institutus fait.

Miraculis in
Codic.
donat.

Habet & sacer ordo noster Præmonstratensis, ven. suum Macarium, qui primùm Haitonus dictus, cum Armeniæ regnum pluribus annis gloriose administrasset, hostium que suorum pluries victor extitisset, filio suo Tyuono regni traditis insignibus, ipse semet candidi instituti disciplinæ subiiciens, præclara vitæ prioris stratagemata humili ordinis Præmonstrati professione coronauit.

Idibus May.

15. Maij.

Gelæ in Campania Brabantina sanctæ Dignæ virginis & Martyris, filix regis Hyberniæ, quæ pro fide Christi & virginitate seruanda, à patre est decollata.

Vide cap
49. Apot
spirit. fol.
245.

Martyrologium Romanum solummodo dicit eam fuisse à patre iussam decollari: sed verissima vitæ eius historia amplius habet; nempe cum nullus adstantium ministrorum tam impiam iussionem adimplere vellet, quod ipse pietatem patriam & regiam atrocissima crudelitate commaculans, carnifex filix suæ effectus, furibundus in eam irruerit, & fatalem gladium quo erat accinctus, naturam impudicitiam conculcans, in nieam innocentissimæ filix suæ ceruicem vibrarit, atque sicrum gloriose virginis caput, diuinam misericordiam suppliciter implorantis, amputauerit.

Nominare consueui hinc & alibi, hanc Virginem, *Dignam*, quam alij communiter *Dymnam*; quia ita me docuit Petri Cameracensis antiquum exemplar, qui vocat eam, *Meritis & Nomine Dignam*. Et sanè si tam multa nomina apud diuersas nationes quasi omnia vel

C 3

monita,

monita, ceu vota rei futura, aut etiam praesentis euentus confirma-
tiua, diuersis imposita fuerint, vt apud Romanos, Caesar a caesarie
cum qua natus fuit, Coruinus a coruo, Cornelius a cornu; apud
Graecos, Plato à latis humeris, Chysofostomus ab aureo ore, Grego-
rius à vigilantia: apud Germanos & Belgas, Fredericus à pacis diui-
tibus, Bernardus ab vrsinâ, Gerardus à vulturinâ indole, Framondus
à pulchro ore, Canutus ab exhauriendis poculis, &c. quid ni etiam
augurari possumus sanctissimæ huic virgini nomen, Dignæ, à Chri-
stiana matre diuinâ prouidentia impositum fuisse, eo quod Deo di-
gna sponsa quandoque futura, vel iam Christianâ matre digna esset
proles?

Miræus
in fast.

Hybernia verò in qua nata fuit (vulgo *Irlandt*) insula est, Or-
pheo, Aristoteli & Claudiano, *Ierna*, Iuuenali & Melæ, *Iuerna*, Dio-
doro Siculo, *Iris*, Britannia insulae omnium amplissima (quæ An-
glia & Scotia regna complectitur) latus occiduum claudens. Poste-
riori tempore, *Scotia*, etiam dicta fuit Isidoro & Bedæ, à Scotis in-
colis. Orosius certè sub Honorio & Arcadio Augustis, Hyberniam à
Scotorum gente habitam fuisse disertè scribit. Vnde eius Synchronus
Claudianus:

Scotorum cumulos fregit glacialis Ierne.

Et alibi:

Totam cum Scotus Hybernem mouit.

1. 14.

Orig. c. 6.

Bed. l. 1.

hist. c. 1.

& alibi.

& Isidorus: Scotia eadem & Hybernia proxima Britannia insulae &
Bedæ: Hybernia est insula omnium post Britanniam maxima, ad oc-
cidentem Britannia sita. hæc propriè Scotorum patria est. Plura ali-
bi Deo volente.

Lipf. in

virg.

Aspric.

c. 8.

Campaniam autem Brabantinam, cuius frequenter mentionem
feci, ita describit Magnus Lipsius:

Campaniam tractum Brantia dicimus, laturum, vascum, ab oppidis
non sic frequentè, pagis infellum, planities fere & æquor est, sed sa-
bulosum, aut terra alibi fungosa & palustri. ceterum humano cultu
& improba industria sic emendatum, vt fruges fructusque exuber-
rent etiam quæ accolis communicentur. mirum dictu & citra fidem
videatur, ab annis iam triginta septem (quid modo diceret si viueret
& videret qui hæc scripsit anno 1605.) belli tempestas fere ibi de-
sæuit, nec frangere patientiam hominum, aut auertere à soli sui ad-
fectu & cultu potuit. Omnia etiam nunc inter prædones, inter mi-
lites, inter exercitus discursantes, rapientes, vastantes, omnia inquam
florent,

florent, rident, penè vt pace: iterum dico, rem non nisi nobis credendam sensuum fide, hactenus ille, verum si pacem superi darent,

Mox aliam hic faciem, mox aurea sacra videres.

Ferrea quæ Mauors, ænea datis lues.

Eam nobis impetrare ô sacri Campaniæ Tutelares, tuque in primis,

O Virgo, Belgi quæ regis incolas.

nam post filium tuum hoc prima potes, vt dissociatas sociemus dexteratas.

Tertiodecimo Kalend. Iunij.

20. Maij.

Aquilæ in vestinis sancti Bernardini senensis, Ordinis Minorum, qui verbo & exemplo Italiam illustrauit.

Vide cap. 46. Apok. spirit. fol. 233.

Non parum hunc sanctum commendat Martyrologium Rom. dū ait eum verbo & exemplo Italiæ illustrasse: quid enim iuuat facundum esse in verbis, dummodo infæcundus sis in opere? *Cæpit Iesus facere, & docere,* inquit Euangelista, & Apostolus desiderat vt eius exemplo Doctor sit *potens in opere & sermone.* aliàs, quidquid lingua ædificat, vitæ destruit: & similis es illi, qui vna manu auiculæ escam ostendit, & altera vt fugiat & auolet, percutit.

Ceterum occasione eius quod scribit Antonius Guarnerius, Sanctum Bernardinum in Xenodochio Senensi, glandulas pestiferas, bubonum & carbonum nomine appellatas, solitum fuisse incidere aut exurere, incisa aut exusta curare, necessaria suggerere, hosque & alios dubiæ salutis ægros aut consolando, aut consilio, aut re ipsa medicinas parando iuuare, occurrit hic quæstio, an propter decretum Concilij Lateranensis renouatum à Pio quinto, medicus debeat à curatione cessare, si non inducat ægrum cum effectu vt aduocet medicum animarum? Id visum est Hostiensi, quia Concilij verba sunt: Ante omnia moneant & inducant quod medicos aduocent animarum. sed dura videtur, ait S. Antoninus, ista opinio, cum in periculis constitutis, quantumcumque etiam obstinatis, sit subueniendum secundum ordinem charitatis. Plenius respondet Angelus: Capitulum, inquit, *Cum infirmitas, non potest dici abrogatum*

de rebus gestis S. S. Bergo. mat.

Part. 3. tit. 7.

per

per contrariam consuetudinem, quia non consuetudo, sed corruptela est. Excusatur tamen medicus in casu repentino, qui indigeret celeri remedio, qui non antea ipsum infirmum induceret ad confessionem. & aduerte quod debet admonere & inducere cum effectu. Nihilominus si infirmus nollet confiteri, non credo quod propter hoc medicus debeat desistere à medicamine, quia intelligendum est. inducens effectualiter quantum ex parte Medici, non ea parte infirmi; quia si dimitteret eum, forte moreretur desperatus, qui sanatus, poterit postea conuerti: & sic præceptum Ecclesiæ videretur cōtra præceptū Dei de charitate proximi; quod nullo modo credendū est. Verū in hac Antonini & Angeli sententia non quieuit Ruardus Tapperus almæ vniuersitatis Louaniensis olim Cancellarius; adscripsit enim ad hanc sententiā in sua Siluestri summa, Medicum non agere contra charitatem, si propter vniuersalē legem, quæ est in re optima, & est rationalis, deserat ægrotum pertinacem, in exemplum aliorū. non enim est contra charitatē, quod est pro charitate, quæ omnes respicit, constitutum hac enim occasione student statim confiteri, ne frustrentur auxilioli medici. Si quis tamen sit scrupulosior, adeat Episcopum loci, & eum consulat, an velit infirmum fratrem curari, an verò ad bonum publicum eum deserri.

Hanc autem sententiam Hostiensis & Ruardi, inquit Molanus, Diarj c. ego medicis tanquā tutiorem cōmendo, vt eam amplectantur quā
25. diu huius dubij nulla ab Apostolica sede, vnde eius decisio expectanda videtur, resolutio dimanat. Est quidem statutum Hospitalis Louaniensis, vt illi ægri eiiciantur qui confiteri nolunt. & omnibus suis monachis veterat S. Gregorius ne fratrem Iustum, qui in proprietate trium nummorum deprehensus erat, in extrema ægritudine adirent. quod se fecisse scribit ad purgationem morientis, & ad reliquorum exemplum itaque non est improbabile similem constitutionem in Concil. Lateran. piē emanasse, à medicis vt sonat, strictē obseruandam. Sed quia in ea lege disciplinæ Ecclesiasticæ, ex causa per Ordinarium dispensari potest, aut eam potest interpretari, tutus erit hac in parte medicus, si Episcopi aut eius vicarij consilio acquiescat. quod si neutrius consilium adhiberi possit, putat Molanus, cum propter rei necessitatem satisfecisse, si prudentia Parochi aut alterius viri Ecclesiastici vtatur. quamquam mihi, inquit, talis videatur hæc esse dubitatio, vt meritò à Concilio Prouinciali ad supremam Cathedram sit transmittenda, vt ab ea decidatur. quod an factum sit, hætenus ignoro. Secundum Nauarrum verò sufficit, ex
recepta

recepta inquit consuetudine, si medicus Parochum, aut qui infirmi curam gerunt, admonet, vt ei Sacramenta dentur. Quin & tenetur (prout communis sententia habet) per se aut per alium, infirmo indicare quod suo iudicio morietur, quando probabiliter credit quod talis prænuntiatio multum erit infirmo utilis, puta, vt peccata sua confiteatur, aut vt testamentum faciat, quo multas lites præcidet; aliàs peccabit mortaliter, quia damnum animæ & rerum temporalium non impedit in proximis, cum potest & debet.

c. 25.
Man. n.
61.

Quarto Kalend. Iunij.

29. Maij.

Treuiris beati Maximini Episcopi & Confessoris, à quo S. Athanasius Episcopus, persecutionem Constantij fugiens, honorificè susceptus fuit.

Vide cap.
20 Apôt.
Spir fol.
120.

Interfuit hic diuersis Concilijs, vt Sardicensi, Agrippinensi, cū S. Seruatio Tungrensi alijsque, cum quo à Magnentio tyranno ad Constantium Imp. in Orientem missus est. Fuit natione Aquitanus, obijtque in patria sua, inde Treuiros per S. Paulinum successorem suum reuectus. Neque solum ab hoc Episcopo S. Athanasius fuit hospitio susceptus, sed & in Belgio nostro à S. Seruatio Tungris omni officiorum genere exceptus est. Urbem Treuirensis Ammianus Marcellinus sua ætate, *Domicilium Principum clarum* appellat; speciatimque (Constantinum filium, fratremque eius Constantem, Julianum apostatam, Valentinianum primum, Gratianū, Maximumque, sedem Imperij in Treuirensi potissimum vrbe fixisse, passim eorum Rescripta ac res gestæ fidem faciunt; prorsus vt de illa merito cecinerit Ausonius:

Miræus.
in fast.

*Treuiricaque vrbs solium,
Imperij vires, quod alit, quod vestit, & armat.*

De claris
viris.

Vicina, eiusdemq; pænè magnificentiæ (vt idem loquitur) fuit Vbiotum ciuitas Ægrippina, hodie Colonia dicta; quam Germaniæ inferioris Metropolim fuisse, ex libello prouinciarum imperij Romani constat.

Tungri verò veteres Galliæ Belgicæ populi, eorūque Metropolis olim dicta Aduatuca sua Aduacutū, à Cornelio Tacito, Plinio, Iulio Cæsare alijsq; celebrantur. Hodie exigū est oppidū, vulgò, *Tungren*, quod

D

quod olim longè amplissimum fuit, vt antiqua mænia seu muri, in agro suburbano extantes etiamnum testantur: vt non sit mirum ad has tres nominatissimas vrbes, missos fuisse à S. Petro Apostolo, tres sacrosistos Triumuiros, Eucharium, Volerium & Maternum (de quibus in Apotheca mea egi) qui sedem Pontificiam Treuiris stauerunt; vt è qua ciuitate ceu Regia, iura prophana reddebantur, redderentur & sacra, fidesque Christiana facilius è fonte, in riuos dimanaret.

I V N I V S.

14. Iun.

Decimo octauo Kalend. Iulij.

Vide cap.
53. Apot.
Spir. fol.
236.

Panormi in Sicilia S. Roseleæ virginis ex sanguine regio oriundæ, quæ anno 1624. diuinitus inuenta, Siciliam à peste postmodum liberauit, & deinceps præseruauit.

DE hac sancta virgine deque gloriosa eius Inuentione ac sacro Triumpho Panormi exhibito alijsque miraculis, plura in dies expecto.

16. Iun.

Sextodecimo Kalend. Iulij.

Vide cap.
36. Apoth.
Spir. fol.
190.

Misnæ in Germania S. Bennonis Episcopi & Confessoris, quem Bauaria tamquam fidelem contra pestem Tutelarem colit.

TRithemius abbas, exposcente Georgio duce Saxonie, pro huius sancti canonizatione, ad Iulium Papam inter cetera ita de hoc scripsit: Vita Bennonis sanctissima, plena virtutibus, à vetustioribus suisque contemporaneis luculenter habetur descripta, & multa quotidie in Ecclesia Misnensi ad eius tumulum fiunt miracula. Postea verò Hadrianus VI. qui solo Leone XI. intermedio, Iulium immediate secutus est, Bennonem, & Antoninum

ninum Archiepiscopum Florentinum, sanctorum numero adscriptis anno 1523. solennitatemque S. Bennonis retulit ad 16. Iunij, deditque plenariam indulgentiam ea die Misnensem Ecclesiam visitantibus. Diploma Pontificium Canonizationis hactenus asseruatur Romæ in Ecclesia S. Mariæ de Anima, nationis Teutonicorum.

Pridie Kalend. Iulij.

30. Iun.

Lemouicis in Gallia S. Martialis Episcopi cum duobus presbyteris Alpiniano & Austricliniano, quorum vita miraculorum signis admodum effulsit.

Vide cap.
35. Apoth.
spirit. fol.
188.

IN Apothea mea cap. de S. Martiali, dixi hunc meritò vocandū esse Galliæ Apostolum, ita enim à sede Apostolica definitū reperio. Anno siquidem 1029. Lemouicis celebrata est Synodus sub Gauselino Archiepiscopo Bituricensi, & Iordano Episcopo Lemouicensi in causa tunc tēporis in Aquitania controuersa, nimirum, essetne hic Sanctus Episcopus in sacris precibus vocandus *Apostolus*, sicuti in Ecclesia Lemouicensi hactenus fiebat: contradicentibus nonnullis atque contendentibus non *Apostolum*, sed, *Confessorem* tantummodo nominandum esse. Ad cuius controuersiæ decisionem non solum iam dicta Synodus, sed & Bituricensis ac Pictauiensis celebratæ fuerunt; tandemq; à Ioanne XII. Pontifice Rom. rescriptum fuit, S. Martialem Apostolum dici ac vocari debere. Potuisset quidem hoc citius amica sententia definiri. nempe non tantum illos Duodecim, sed & reliquos Discipulos dictos reperiri Apostolos; insuper & in Ecclesia eo nomine decoratos omnes qui legitime missi ab Apostolica Sede, populos ad fidem Christianam conuertissent: verum cum semel quid deducitur in controuersiam, crescentibus studijs, quamuis minimum, in immensum augeri solet. Ex eo insuper quod hic sanctus Episcopus vocet se in epistolis suis, *Martialem Cepham*, suspicati sunt olim nonnulli, hunc esse eundem illum Cepham cui Paulus dicit se in faciem restitisse, ad Galatas 2. quod quàm probabiliter dicatur, vide apud Baron. & eius loci Cōmētatores, quorū recepta sententia est, Apostolū Petrū ibi intelligi.

Baron.
anno.
1029.

D 2

JVLIVS

1. Iulij.

*Kalend. Iulij.*Vide
cap. 22.
Apoth.
Spir. fol.
128.

Aruernis in Gallia S. Galli Episcopi & Confessoris, qui post præclara virtutum insignia, laudabilem vitæ sanctissimæ cursum, beata morte terminauit.

Surius in
vita.

Legitur de hoc S. Episcopo, quod Agrippinæ famosum quoddam gentilium sanum, in quo post oblata dæmonibus libamina, incolæ se ad vomitum vsque replebant, subiecto clâ igne euerterit; qua occasione pagani fictis gladijs in eum irruerunt: sed Regis Theodorici protectione incolumis euit: quam euasione, quia martyrium videbatur declinasse, multis lacrymis postea deplorauit. Verum hîc quæri posset, an quis eam ob causam martyrij corona esset decorandus, propterea, quod repugnare videatur can. 60. Concilij Elsbertini, quo cautum reperitur, vt si quis idcirco occidatur à Gentilibus quod idolum fregerit, non habeatur inter Martyres.

Sed respondeo eum Canonem intelligendum esse de ijs temporibus quibus Christiana Religio adhuc sub gentilibus Imperatoribus depressa iacebat, & magis mansuetudine quàm furore opus erat, etiam quando adolescebat sub Catholicis principibus: quorum tamen iussu sæpè leguntur à Christianis diruta, cum illorum iteratis sanctionibus templa fuerint clausa, idola postrata, sacrificia antiquata. Quod si iustè quis id facit cum Princeps iubet, & meretur laudem: multò magis id licebit cum Deus iubet, & priuato quodam diuini spiritus instinctu quis ad id faciendum impellitur. Et iam huius Galli tempore, firmata Catholica religione, idololatria penitus erat extirpanda.

Sexto

*Sexto Nonas Iulij.*2.
Iulij.

Visitatio Beatæ Mariæ Virginis ad Elizabeth.

Vide cap.
11. Apot.
Spir. fol.
78.

HÆc quidem solemnitas ab Urbano Papa VI. instituta est, & à Bonifacio IX. confirmata seu potius publicata, idque occasione vigentis Schismatis, ad quod componendum, eiusdem Dei Genitricis opem, Dei Ecclesia propensius (ea aucta celebritate) studuit implorare; idque anno 1389. Quotiescumque ergo peste affligimur (quæ ordinarie propter schisma inter nos & Deum, id est, propter defectionem nostram per peccata à summo nostro Capite Deo, nobis obuenit) huius Virginis opem imploremus, & vñionem nobis impetrabit, atque domum animæ visitabit, eamque donis gratiæ suæ, vt domum Zachariæ, replebit.

*Nonis Iulij.*7.
Iulij.

In Anglia S. Edilburgæ virginis, Anglorum regis filiæ, quæ Cœnobio Monialium præfecta, ministerium suum laudabili sollicitudine adimpleuit.

Vide cap.
57. Apot.
Spir. fol.
269.

Sicut Hyberniæ olim *Sanctorum Insula* fuit appellata, ita merito etiam Anglia eundem titulum meretur, quæ numero sanctorum virorum & mulierum, seu Clerum, seu Regiam, seu priuatos consideres, ea minor non fuit; quin etiam auctior si laureatos pro fide Catholica pugiles lubet intueri. Videre enim meruit sæculum nostrum hac ex parte felicissimum, quam plurimos Sanctissimos sacerdotes, aliosque nobilissimos viros Anglicanos glorioso martyrio coronatos, duplicisque tituli coronis auctos, qui non solum pro Ecclesiastica libertate, sed pro fide Catholica tuenda, restituenda ac conseruanda, nobilissima morte occubuerunt. Felix certe & ter beatus Anglicanorum nobilissimus & gloriosissimus ille cærus, qui tam illustri militiæ nomen dedit, ac Sacramento sanguinem

nem spondit, eoque fidem Catholicam confirmavit. Plura de hoc argumento vide in Rosa mea *Candida & Rubicunda*.

17.
Iulij.

Sextodecimo Kalend. Augusti.

Vide cap.
42. Apot.
Spi. tol.
215,

Turnini in Brabantia S. Fredegandi presbyteri & Confessoris, qui suis meritis pestilentiam ab Antuerpia propulsavit.

MUlra de Hyberno hoc sancto Presbytero, eiusque conterraneis in Apotheca mea dixi, quam multi nimirum ex ea gente hanc patriam doctrina & sanctitate illustrarint, immò totam pænè Europam, in quam sanctissimorum virorum examina integra olim emisit. Hyberniæ enim suum Columbanum debet Italia, Gallum Heluetia, Kilianum Franconia, Mansuetum & Albuinum Lotharingia, Arbogastum Argentina, Erardum Ratispona, Virgilium Carinthia, Rumoldum Mechlinia, Fredegandum Antuerpia, Vltanum, Fursem, Foillantum, Liuinum aliosque innumeros tota Belgica. Nec mireris Lector, tot egregios Evangelici verbi seminatores Hyberniam protulisse, postquam enim illa à S. Patritio in fide Christi fuit instructa, tanto successu eandem vbique propagare studuit, vt inundatione quasi facta in exteris nationes sese diffuderit. Vigebant enim per totam Insulam sacrarum studia litterarum, in quibus se exercebant innumeri sancti monachi, viuentes secundum regulam à S. Patritio præfixam, mundi contemptu, cælestium appetitu, sancta mortificatione carnis, ac abdicatione voluntatis propriæ, pares Ægyptijs monachis merito & numero. de quibus ita Henricus Antiodorensis ad Carolum Caluum: Quid Hyberniam memorem contempto pelagi discrimine, pænè totam cum grege philosophorum ad littora nostra migrantem? quorum quisque peritior est, vltro sibi indicit exilium, vt Salomoni sapientissimo famuletur ad nutum. Litterarum itaque studijs cum pietate apud Hybernos florentibus, Anglo-Saxones in Hyberniam tamquam ad mercatum bonarum litterarum olim vndique confluebant. vnde de viris sanctis sæpissimè in antiquis Angliæ Scriptoribus legitur: *Amandatus est ad disciplinam in Hyberniam.* & in vita Sulgeni, qui ante 500. amplius annos floruit:

Ieccl. in
vita Patr.

Exempla

*Exemplo Patrum commotus amore legendi,
Iuit ad Hybernos sophia. mirabile, claros.*

Et de S. Willebrordo Anglorum gloria ita Alcuinus:

*Quem tibi iam genuit fecunda Britannia mater,
Doctaque nutriuit studijs sed Hybernia sacris.*

Verè docta, à qua Academia Parisiensis vniuersitatum mater, & Pa-
piensis, inchoata & instituta fuit. Vnde bene in vita S. Florentij
Episcopi Argentinensis vocatur Hybernia, Sanctissimorum doctissi-
morumque officina.

Cauel. in
apol. pro
Scoto c. 8.

Octauo Kal. Augusti.

In Lycia S. Christophori martyris, qui sub Decio
vigis ferreis attritus, & à flammæ æstuantis in-
cendio, Christi virtute seruatus, ad vltimum sa-
gittarum ictibus confossus, martyrium capitis
obtruncatione compleuit.

25.
Iulij
Vide cap.
17. Apot.
Spir. fol.
107.

Celebris fuit olim huius Martyris in Ecclesia nostra Calmp-
thoutana memoria, solebantque ad eam concurrere annua
deuotione tam longinqui quàm vicini votorum causa. quo-
rum etiam quam plurimi compotes facti sunt, venerationem
acceptis beneficijs augentes. ita habet antiqua & fida incolarum tra-
ditio. Brachium eius asseruatur in Ecclesia Tungrensi sanctissimæ
Deiparæ sacra, quod singulis septennijs, cum plurimis alijs pretio-
sissimis reliquijs, die 11. Iulij & quindecim proximè insequentibus,
solet exhiberi, solenniter populis vndique confluentibus, vt &
reliquiæ Ecclesiarum Treuirensis, Colonienfis, Aquis-granen-
sis, & Traiectensis ad Mosam.

Ceterum quod Joannes Raulinus dicit de S. Sebastiano, etiam
quadrat in S. Christophorum, qui similiter sagittis fuit transfixus, li-
cet promiscuè non ita cum illis pingatur, scilicet quod postulet apud
Deum ostendendo singula sagittarum vulnera, dicens cum Psalmi-
sta: *Hæc facta est mihi, quia iustificationes tuas exquisiui.* Sicut enim omnia
vlcera infirmi clamant misericordiam & compassionem ad transeun-
tes, sic multitudo vulnerum & sagittarum duorum horum rationa-
bilium Eryciorum, clamat ad Deum pro nobis misericordiam, vt eis
dicamus.

Serm. de
S. Sebast.

Psal. 118.

32
Abac. 3. dicamus illud Abacuc prophete: In luce sagittarum vestrarum, id est, in clara demonstratione vulnerum vestrorum apud Deum, liberi ibimus à splendore fulgurantis hastæ Dei.

AUGUSTVS.

Nonis Augusti.

5.
August.

Vide cap.
11. Apot.
Spir. fol.
73.

Romæ in Esquilijs dedicatio Basilicę S. Marię ad Niues.

Dedicationis huius memoria ex niue quæ hac die 5. Augusti, cum Romæ maximi calores esse solent, miraculose cecidit, annua celebritate in Ecclesia recolitur. Cum enim Joannes Patritius Romanus cum vxore sua, hereditatem suam sanctissimę Deiparę vouissent, illa quadam nocte in somnis separatim vtrumque admonuit, vt quem locum niue conspersum viderent, in eo Ecclesiam sibi ædificarent, quod statim in colle Esquilino per Liberium Pontificem, qui eamdem visionem habuerat, solemniter factum fuit. Vocatur hæc Basilica ob nouitatem & dignitatem miraculi, Ecclesia Marię maioris, in qua Sacrosanctum Domini Præsepe asseruatur. Mos verò obtinuit vt non quæcumque Ecclesię appellentur Basilicæ, sed illæ tantum quarum augustior esset amplitudo. Vnde autem id acciderit vt eiusmodi Ecclesię dicerentur basilicæ, patet ex Isidoro: Basilicæ, inquit, prius vocabantur regum habitacula, vnde & nomen habent: nunc tamen ideo basilicæ diuina templa nominantur, quia ibi regum omnium Deo, cultus & sacrificia offeruntur.

Isid. l. 15.
orig.

Simile ferè huic miraculum habemus in Brabantia nostra, de templo Lakenfi prope Bruxellam, quod calitus per Deiparam filo designatum & quasi circumscriptum fuit. quod filum, vt vidi, etiamnum hodie ibidem religiosè asseruatur cum prægrandi osse brachiali S. Barbaræ.

In nat. S.
S. Ord.
Præm.

Hoc item die ponit Ioannes Chrysostronus Prior S. Michaelis Antuerpiæ, Commemorationem Præmonstrati à gloriosissima Cælo- rum Regina, Candidi nostri Ordinis & Habitus, in Capella S. Joan- nis

nis Bapt. Premonstratensis. quod accommodatitè eum ad hunc diem
facere suspicor, non verò quod hoc ipso die id contigerit. nec malè;
nam vestimenta nostra tunc facta sunt alba quasi nix, quæ hoc die
de cælo mirabiliter cecidit.

Nonis Augusti.

Eodem die in Anglia S. Osvaldi regis, cuius actus
venerabilis Beda commemorat.

5.
Augusti.
Vide cap.
39. Apot.
Spir. fol.
203.

Huius ossa vnà cum corpore S. Leuvinæ virginis Anglica-
næ, & reliquijs S. Jtisbergæ Sororis Caroli Magni, anno
1221. ab Adamo Morinorum Episcopo, Bergas S. Winoc-
ci, quod est Flandriæ oppidum, sunt translata, & in mona-
sterio Benedictinorum ibidem collocata. Sicque rex Anglorum, ap-
ud filium regis Angliæ requiescit. Fuit enim S. Winocus ludicail
regis Britonum filius, & S. Judoci Frater, qui spreto mundo, sub S.
Bertino circa annum 661. in Sithiu monasterio (hodie Bertinense
vocatur Audomaropoli) monachus efficitur, cum tribus fratribus
suis, Kadanoco, Ingenoco, & Modoco. quo tempore S. Bertinus
præerat turbæ 150. monachorum, inter quos Winocus quasi Stella
matutina præ ceteris clarescebat.

Miræus
in fast.

Iperius in
Chron.
Bertin.

Septimo Idus Augusti.

7.
Augusti.

Messanæ in Sicilia S. Alberti Confessoris Ordinis Carmelitarum, miraculis clari, qui aqua in
sui nominis honorem benedicta, pestem repel-
lere consuevit.

Vide cap.
41. Apot.
Spir fol.
210.

Solemne est diuersis in locis, ad diuersa mala propulsanda, a-
quam benedicere. Ita Gelæ ad S. Dignam famosam dæmo-
niorum domitricem, aqua pro energumenis benedicitur. Si-
militer in Cænobio Ordinis nostri Parcensi prope Louanium,
E aqua

E

aqua

aqua benedicatur per inuocationem S. Quirini, qui magna deuotione ibidem colitur contra dolorem aurium, oculorum, aliasque varias infirmitates. In Cœnobio itidem nostro Diligenti iuxta Bruxellam, aqua benedicatur per merita S. Blasij, contra dolorem gutturis; Sanctus enim hic Martyr specialiter contra hoc malum solet inuocari, quia hanc gratiam curationis à Domino. antequam pro eius nomine esset decollandus, expetiit, puero prius sanato, qui ipsam gutturi habebat infixam.

Quarto Idus Augusti.

10.
August.
Vide cap.
38. Apot.
Spir. fol.
197.

Romæ via Tiburtina natalis beati Laurentij archidiaconi, qui in persecutione Valeriani, post plurima tormenta carceris, verberum, diuersorum scorpionum, fustium & plumbatarum & laminarum ardentium, ad vltimum in craticula ferrea affatus, martyrium compleuit: cuius corpus à B. Hippolyto & Iustino presbytero sepultum fuit in cœmeterio Cyriacæ in agro verano.

HActenus Rom. Martyrologium, quod rectè ponit eum in persecutione Valeriani passum; ex quo aliorum vulgata opinio corrigatur, qui sub Decio eum passum dixerunt: de quo plura vide apud C. Baron. in notis Martyrologij hoc die, & in Annal. anno 253. quorum summa est, quod Decius Valeriano tribuerit amplissimam Censuræ potestatem, vnà cum legum scribendarum facultate; vnde cum in Edictis nomina inscriberentur Decij & Valeriani, persecutio primùm authoritate Decij indicta, eodem nomine perseverauit in posterum, cum præsertim nihil opus fuerit Valeriano nouas leges sancire in Christianos, vigentibus ijs quas idem ipse iam tulerat, Decio imperante: vnde ab authore qui eam indixerat, quæ facta est sub successore, perseverauit denominari. Ex quibus complures tricas & ambages historicas soluas, dum plerique Martyres in persecutione Decij & Valeriani vnà passi leguntur,
quos

quos constat non simul eodem, sed diuerso tempore imperasse; sicut & eadem ratione nonnulli sub Valeriani imperio passi, Decij persecutioni assignantur; quod vnâ eademque persecutio, vtriusque censita fuerit: quomodo etiam aliquatenus excusari possunt qui famosam illam Luem, totum orbem sub Gallo & Volusiano depascentem, Decianæ persecutioni attribuunt.

Cyriaca verò, in cuius cœmeterio S. Laur. sepultus dicitur, quodque à Prudentio in hymno 11. de S. Hippolyto pulchrè describitur, religiosâ fuit vidua, quæ in persecutione Valeriani, cum se suaque omnia in Sanctorum ministeria impendisset, demum pro Christo martyrîum subiens, vitam quoque ipsam libenter impendit, vt refert Martyrol. Rom. 21. Augusti. Suntque lectu pulcherrima & iucundissima, quæ de huiusmodi Romanorum Cœmeterijs narrat Aub. Miræus in Fast. suis Belgicis ad 14. diem Iulij. Celeberrimam, si reliquiarum multitudinem spectes, Basilicam Romæ habet, à Lucina clarissima Romanorum matrona extructam; vbi catena, qua idem martyr vinctus, & craticula super quam assatus, cum vno ex forcipibus ferreis, quibus desuper fuit coarctatus, & parte carbonum, & sanguine à sacris artibus à Iustino & Hippolyto expresso, linteo denique illo, quo in carasta cruentati membra vidit S. Romanus Angelum extersisse, asseruatur, qui extra muros sub maiori Basilicæ Alrari cum S. Stephano conditus dicitur; quod Altare est talis priuilegij, vt exceptis sex Cardinalibus ad hoc deputatis, nemini super illud diuina concedatur celebrare mysteria.

Ioan.
Chapp.
to. 2. c. 8.
hist. Leo.

Ad Burgundiam verò quod attinet, in qua dixi eum contra pestem inuocari; asseruatur dens eius in Ecclesia S. Petri Vefontione (Gallicè Besançon) à cuius Clero, in vigilia eiusdem sancti, deferri solet cum solenni supplicatione ad eius Sacellum in foro frumentario, ac postridie post Vesperas reportari. ita Chiffletius part. 2. hist. Vefont.

Decimo Octavo Kalend. Septemb.

15.
Augusti.Vide cap.
11. Apot.
Spir fol.
78.Assumptio Sanctissimæ Dei genitricis Virginis
Mariæ.

Celeberrima hæc est omnium festorum Sanctissimæ Deiparæ festiuitas, eò quòd Marianæ œconomix sit completorium & coronis; soletque vniuersalis Ecclesia hanc vnicam ieiunio præuenire. Hodie namque totius generis humani facta est apud Deum aduocatrix, ostendens sacra ybera quibus æterni regis lactauit vnigenitum. Ob singularem sui excellentiam, ab Hungaris vocari solet, *Dies Domina*. In antiquissimis Ecclesiæ nostræ Tüngerloensis Litanijs, *Ascensio*, appellatur, quæ vox licet communi vsu Christo propria virtute conscendenti cælos sit appropriata, (qui nihilominus Marci vltimo assumptus esse dicitur) non tamen prorsus aliena est à stilo quorundam veterum Patrum, immò ipsius Ecclesiæ, ei adaptantis illud Canticor. 7. *Quæ est ista quæ ascendit per desertum &c.* Sicut neque ille titulus quo in iisdem compellatur, *Mater innupta*.

Vide Est.
in 4. dist.
30.

Opinatur autem Joannes Eckius Mariam obdormientem seu è vita migrantem, non esse pingendam habitu morientis. Loquens enim de Collecta huius diei: *Veneranda nobis Domine huius diei festiuitas opem conferat sempiternam, in qua sancta Dei genitrix mortem subit temporalem; nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ &c.* Sic dicit: Collectam aiunt fecisse S. Gregorium; & secundum hanc sine dolore mortua est non igitur pingi illa debet habitu & facie egrotantis. Judocus verò Chichtouæus in lib. de Assumptione B. Mariæ, paulò vltius progreditur: sic enim habet cap. 6. Tam fuit à dolore carnis extranea, quàm à corruptione fuerat aliena. Credi derim eam non decubuisse lecto more agrotantium, & qui morbo pressi claudunt hanc vitam, (cum venia pictorum & sculptorum) cum neque infirmitate vexata credi potius debeat, neque debilitate prostrata, sed flexis reuerenter genibus & sublatis in cælum manibus, inter orandum acceptissimum Deo Spiritum commendasse, quemadmodum Paulum primum Eremitam obijisse tradit Hieronymus. ita ille. Et certe memini me vidisse
Bruxellis

Bruxellis in summo altari Monasterij S. Benedicti Anglicanarum virginum, Assumptionem sanctissimæ Deiparæ tali schemate nuper depictâ. Verùm non est ideò tam facile cõmunis altera pictura reicienda, quæ antiquæ & probatæ consuetudini hæctenus innititur.

S. Antoninus verò part. 3. reprehendit picturam illam qua in extremo iudicio appingunt B. Mariam & S. Joannem Bapt. orantes, Tit. 8. c. 4. eò quòd Origenicum dogma de saluatione damnatorum videatur §. 11. sapere, ac directè illi repugnare quod ex Hieron. citat Gratianus: In præseti seculo scimus orationibus inuicēnos posse iuari: cùm autē ante tribunal Christi venerimus, nec Iob, nec Daniel, nec Noe rogare posse pro quoquam. Verum vsitatam in plurimis Ecclesijs picturam, diuersis responsionibus saluat Ioan. Molan. nempe, eam sic esse intelligendam, quod Maria & Baptista ac reliqui sancti tunc gratias acturi sint Christo pro aduentu regni eius, & pro alijs innumeris acceptis beneficijs. Item, quod tunc sancti rogabunt pro quibusdam, vt det illis Dominus inuenire misericordiam in illa die & hora extrema: non autem quasi damnati saluandi essent. Rursus pictura hæc significare potest, quod neque Maria neque Ioannes orans pro damnatis exaudietur. Ac postremò homines etiam tam perfectos tremere iustitiam iudicis. Adderem ego (si quid tanti viri ob solutæ doctrinæ addi posset) quod sæpè de historia illa in Choro nostro desculpta cogitauim, eam representare, duas illas excellentissimas personas, S. Virginem Mariam & Præcursores Domini (quo sanctior inter natos mulierum non extitit) in personam omnium sanctorum pro nobis nunc apud eum intercedere, qui iudicaturus est viuos & mortuos.

E 3

Decimo-

16.
August.Vide cap.
15. Apoth
spirit. fol.
102.

In Gallia Narbonensi apud Montem Pessulanum depositio B. Rochi confessoris, qui multas Italiae vrbes à morbo epidemiae signo Crucis liberavit: cuius corpus Venetias postea translatum fuit.

Miræus
in fast.
Belg.

Ioannes Molanus in Diario suo de sanctis Medicis enumerat aliquot ciuitates quas signo Crucis à morbo liberavit, Aquampendentem, Casenam, Romam (vbi per triennium cohabitauit Cardinali Britonico, cui contra pestem Crucem in fronte impresserat, ac si cauterio fuisset inusta) Galliam Togatam, id est, Cisalpinam, urbem Transpadanam, ex qua, febris acutissima afflictus, veluti demens expellitur; expulsus in nemore conqueuit, vbi Gothardi cuiusdam canis ei panem aliquoties attulit, & postmodum Gothardus ipse pro viro sancto Placentiae mendicare non erubuit: vnde tamen vix cum duobus panibus ad Rochum est regressus. Sequenti autem luce nondum à morbo liber Placentiam iuit, & tam vrbes quam hospitalis aegrotos signo Crucis liberavit. Communiter enim hic sanctus ad hospitalia declinabat, non vt in ijs seruitium ab alijs acciperet, sed ipsemet impenderet infirmis, exemplo Christi qui dixit: *Non veni ministrari, sed ministrare*. Secutus est eum in pissimo hoc obsequio ven. Franciscus Titelmannus, Haslei in Belgio natus, qui Capucinis recens exortis Romae adscriptus, dum in publico Xenodochio lepra aliisque morbis laborantes curat, à Belgis agnitus & rogatus, *Cur non hic, Pater, vt olim Louanij sacras literas profiteris?* ille ad leprosos eos deducens, *Ecce, inquit, ostensis aegrotis, hic meus Augustinus, Hieronymus, Chrysostomus & Basilius est.* contemplationem ad actionem reuocandam esse significans.

Docemur insuper exemplo S. Rochi, non esse insultandum Medico, si ille qui alios curat, in pestem incidat, aut ex ea moriatur. Christiani enim, & pestem & praeseruationem à peste, etiam in medico dona Dei esse agnoscunt. Vnde publica est multorum vox: *A peste & clade, libera nos Domine.* & in Litanijs contra haereticos: *A peste, fame, & bello, libera nos Domine.*

Multum

Multum etiam aberrant, qui pestem putant morbū infamem esse, ipsque tantum obuenire qui in ira Dei sunt. Corrigit erroneam hanc opinionem S. Cyprianus, dum dicit: Mortalitas ista, vt Iudæis, & gentibus, & Christi hostibus pestis est; ita Dei seruis salutaris excelsus est. De mort. c. 5.

Tertio decimo Kalend. Septemb.

In Territorio Lingoniensi depositio S. Bernardi, 20 August.
primi Claræ-vallensis Abbatis, vita, doctrina, & miraculis gloriosi.

SÆpè mihi pruriit manus & calamus, vt eximiū hunc Confessorem, & illustre Ecclesię sidus, inter reliquos Tutelares in Apotheca mea connumerarē, quia in libello illo Bruxellis nuper edito (de quo mentionem sup. feci in c. de S. Eustachio) nomen eius cum alijs recensēbatur. Sed quia apocryphum quid sapiebat, consultò omisi. Quorsum enim fideli populo, dubia & incerta pro veris obtrudere? nimia illa quorundam facilitas, magnum in negotio Christianę religionis parit detrimentum. Postmodum tamen à diuersis fide dignis intellexi, eum etiam contra pestem specialiter inuocari. Vnde hoc ipso anno 1625. grassante contagione per totum hoc Belgium, maximus fidelium concursus exitit ad Sacellum S. Bernardi, quod Litæ in ædibus Monasterij S. Bernardi ad scaldim dicti, visitur; vt eius suffragantibus meritis, à dira hac contagione possent liberari & præseruari. Neque solos oppidanos, sed & paganos circumuicinos hæc deuotio eò adduxit; quod & alijs contagiosis temporibus factitatum fuit. ita mihi retulit V. D. *Godofridus van Ghestel*, earumdem ædium Inquilinus, & S. T. (quam in Cœnobio nostro olim docuit) Licentiatus.

In diuersis alijs Brabantię locis, celebris & religiosa est huius viri sancti memoria, & meritò: magna namq; erga eum Belgis est obligatio, quòd eorū prouincias singulariter exornarit miraculis, prædicatione, & monasterijs; prout in nostratibus historicis fulissimè reperies. Ad Brabantiã nostram quod attinet, cùm in ea ex præcepto Eugenij

Villers

S. Ber-
nards,
Grand
Pre.epif. 56.
& 126.

III. Craciatam prædicaret contra saracenos expeditionem, datus est illi locus Villariensis, ad sui Ordinis monasterium excitandum, quo sine eò monachos XII & V. conuersos, seu laicos cum Laurentio Abbate anno 1146. transmisit; vbi hodieque eius casula dicitur asseruari, qua Neomystræ in primitiis vti consueuerunt. Villarium postea, duas vt vocant, filias ex se genuit, *Locum S. Bernardi ad Scaldim* prope Antuerpiam, & *Grande Pratum*, in Comitatu Namurcensi. Suntque diuersæ hic Ecclesiæ & Cœnobîa (ac nominatim nostra Tungerloa) quæ eius beneficia sunt experta. Fuit enim magna ei familiaritas cum S. P. N. Norberto, vt indicant diuersæ illius ad hunc datæ epistolæ, in quibus præclaris admodum laudibus eum deprædicat. Hi sunt sacri illi Duum-viri *Norbertus* scilicet & *Bernardus*, qui *Innocentium* II. postquam anno 1131. Bruxellis in Xenodochio vrbis maiori, Ecclesiam S. Ioannis Pontificaliter consecrasset, in sedem Apostolicam, quam antipapa Anacletus inuaserat, cum rege Lothario alijsque principibus Romæ restituerunt: vbi Papa de Ecclesia optimè meritos, Lotharium in Romanorum Imperatorem, S. Norbertum in totius Germaniæ Primatem confirmat. de qua restitutione ita alibi lusi:

Ite bonis auibus, Patrem reducite Patrum;

Expulsumque suo constabilite throno.

Sic David ablatam reduxit fœderis Arcam:

Sic etiam in regnum ducitur ipse suum.

Erat insuper tunc temporis vulgatum de his Elogium: *In Norberto fides, in Bernardo charitas, in Milone* (erat hic ex Abbate Ordinis nostri Episcopus Morinensis) *humilitas elucet.*

Porrò tam insignes Patres, non pepererunt degeneres filios.

(Neque enim imbellem

Progenerant aquila columbam.)

De quibus præter alios, ita Robertus de Monte in appendice ad Sigebertum: Hoc tempore (nempe circa annum 1130.) Ordo Canonicus Præmonstratensis, & Monasticus Cisterciensis, quasi duæ oliuæ in conspectu Domini, pietatis lumen, & deuotionis pinguedinem mundo ministrabant; & quasi vites fructiferæ, religionis palmites circumquaque propagabant, & per omnes fere Christiani orbis terminos, bonæ opinionis odore paulatim diffusi, nouas Abbatias, vbi antea Dei cultus non fuerat, construebant. Eratque circa hæc tēpora pulchra ac decora facies Ecclesiæ, diuersorum ordinum

ac

ac professionum circumdata varietate, dum hinc Præmonstratenſes, hinc Cisterciensēs, inde Cluniacensēs monachi, tum & diuersi habitus & professionis Sanctimonialēs, & mulieres Deo deuotæ, in continentia & paupertate sub obedientię iugo regulariter viuentes, feruore religionis inuicem prouocarent, & noua certatim diuersis in locis monasteria fundarent. ita Robertus.

Obijt tandem gloriosus Confessor Bernardus anno 1153. cetum & sexaginta, vt fertur, monasteriorum fundator. Relatus est in tabulas Ecclesiasticas ab Alexandro III. anno 1165. estque superioribus annis in domo eius natali, *Fontanis*, in Comitatu Burgundię, à Monachis Cisterciensibus, reformatæ Congregationis Monasterium excitatum.

Vndecimo Kalend. Septemb.

Senis in Tuscia natalis B. Bernardi, Ordinis Oliuetani institutoris, sanctitate vitæ & miraculorum gloria conspicui.

22.
Augusti.

Vide cap.
60. Apot.
Spir. fol.
274.

Sicut Burgundia suo Bernardo Claræ-vallensi, ita Senensis ciuitas suo Oliuetano æquè noui Ordinis institutore, illustris est. Neque hoc solo possunt Senenses gloriari; præter enim suum Bernardinum & Catharinam, habent etiam Joannem Columbinum authorem Ordinis Iesuatorum, qui lectione vitæ S. Mariæ Aegyptiacæ mirabiliter conuersus fuit circa annum 1356. instituitque Ordinem Iesuatorum, qui tum mendicando, tum in exequijs defunctorum funalia, seu funebres lampades deferendo, tum aquas medicinales ægrotantium vsui destillando, victum sibi satis sufficientem parant. Oliuetani verò ita dicti sunt à monte Senis vicino, in quem B. Bernardus cum socijs suis, vt quietiùs extra hominum frequentiam Deo vacaret, se recepit anno 1320. Apertissima siquidem, ad Deo vacandum, siluestria & ruralia loca sunt: nam sicuti naturalis calor, quò magis interius hiemis tempore reconditur, eò magis viget & concoquit; quò verò plus in æstate diffunditur, eò magis languet: ita calor spiritualis, id est, diuinus amor, quò minus ad exteriora diffluit, eò plus in interioribus

Bernard.
Scardeo-
nius l. 2.
de Pata-
uio

F

seruet.

feruet. Hinc S. Bernardus mellifluus doctor & Ruris-peritus: Expe-
 to crede, aliquid plus inuenies in siluis quàm in libris. Ligna & lapi-
 des docebunt te, quod à magistris audire non possis. *Ecce ego lactabo*
eam, & ducam in solitudinem, & loquar ad cor eius. ideoque non soli mo-
 nasticorum Ordinum conditores, vt Benedictus, Bernardus, Bruno,
 alijque ijs similes, qui propriæ salutis potissimum inuigilant, in huius-
 modi ruralibus locis, Ordines suos auspicati sunt; verum etiam San-
 ctissimus P. N. Norbertus, qui ad animarum curam Canonicum suum
 Institutum erexit; cuius pleraque Cœnobia (paucissimis exceptis)
 in siluis, in ericetis, in agris sunt fundata, semota à turbis, sed
 propinqua Deo, secundum illud Bernardi: O eremus familiaris Deo
 gaudens! verecundum enim habemus sponsum, qui nequaquam
 vult nobis suam exhibere præsentiam præsentibus ceteris: nam sicuti
 pestis magis solet grassari in exercitu & hominum frequentia, quàm
 in villis & solitudine, ita & vitia: estque difficile arborem iuxta viam
 plantatam, fructus maturos producere. Deinde melius in solitudine
 discitur, quod postea in populo doceatur. nam *pinguescent speciosa* le-
 git Hieronymus pascua, *deserti.* Monasteria enim in desertis posita,
 per incrementum interioris hominis, ibidem quasi in pascuis vberis-
 mis pinguescunt, spiritali fidelium esui accommodatissima. Excel-
 lit hac prærogatiua in Brabantia, *Silua Sonia*, haut procul à Bruxella,
 in qua extant quatuor Canonicorum Regul. monasteria, videlicet,
Viridis vallis, Rubra vallis, Septem fontes, & Buscum Domini Isaaci: & præ-
 ter *Nisellam* monachorum Ordinis Cisterciensis Abbatiam, tria in-
 super eiusdem instituti virginum monasteria, nimirum, *Camera B.*
Maria, Aquiria, & Gualteri Brania, quibus adde *Forestum* virginum Be-
 nedictinarum Abbatiam: adeo vt ad solitudinem & quietem mona-
 sticam, *Silua Sonia*, diuina quasi manu plantata videatur, ad æmula-
 tionem Thebaicæ olim solitudinis. cui non malè illud S. Hierony-
 mi adaptauero: O desertum Christi floribus vernans! O solitudo in
 qua magni illi lapides nascuntur, de quibus in Apocalypsi ciuitas re-
 gis magni ædificatur!

Osce 2.

Ianson. in
psal 65.Epist. ad
Heliod.

Octavo

Octauo Kalend. Septemb.

25.
August.

Lutetiæ Parisiorum S. Ludouici confessoris, regis
Francorum, qui post vitam sanctissimè in
aula transactam, in expeditione pro hereditate
Domini suscepta, peste interijt.

Vide cap.
61. Apot.
Spir. fol.
276.

Vetus verbum est & bonum consilium :

Exeat ex aula, qui cupit esse pius.

multi enim ad hos scopulos allisi, naufragium salutis passi sunt, Deo & mundo ludibrium facti. Difficillimum namque est seruire aulæ terrestri & cælesti simul: placere principi & aulicis, & non displicere Deo & Angelis. Quapropter aliorum exemplo edocti, & propria salutis solliciti, plurimi ab ea pedem retraxerunt; magis eligentes in humili saluari, quàm in sublimi damnari. Verum vt in omni gente, ita & in omni loco saluat Dominus, dummodo per prauas nostras voluntates non steterit: quamuis fatendum sit, plures peccandi illecebras aulam præbere, & maiora salutis impedimenta obijcere. Nihilominus infiniti sunt cælo adscripti, qui tam fortiter hæc superarunt, quàm constanter illas spreuerunt. Exemplo nobis & regibus esse potest S. Ludouicus, Francorum gloria dicam, an sanctitas, an veriùs vtrumque: qui in aula, vt in monasterio, immò vt in cælo vitam sanctissimè traduxit, speculum pietatis & imago perfectæ virtutis, vt nunc relinquamus Angliæ suos Lucios, Eduardos, Richardos, Hungariæ suos Stephanos, Daniæ suos Canutos, Burgundiæ suos Sigismundos, Poloniæ suos Casimiros, Bohemiæ suos Wenceslaos, Austriæ suos Leopoldos, Hispaniæ suos Wambas Alphonso: ac demum Brabantie nostræ, sanctam illam à Pipino J. deductam propaginem: ex quibus, vt ex vngue leonem, cognoscas, quomodo etiam omni æuo, aulæ regiæ sanctorum fuerint feraces.

Quod ad expeditionem Cruciatam pro recuperanda terra sancta susceptam, in qua Ludouicus peste interijt; fuit hæc ipsius secunda, tribus suis filijs comitatus, ac Theobaldo Navarræ rege, & Guidone Flandriæ Comite. Verùm, proh dolor! medio in cursu Tuneti moritur. Primam susceperat sub Innocentio IV. anno 1245. cum fratre

F 2

suo

suo Roberto Artesiæ Comite, Damiatum tunc expugnatum. Maiores enim nostri, plurimas factas expeditiones, quas à signatione Crucis, Cruciatas vocant, superioribus sæculis contra Saracenos, summa cum laude & fructu susceperunt, ut sanctam urbem, Christi sanguine purpuratam, quæ aurora fuit Ecclesiæ, primumque eius regnum, à Turcis & Saracenis sacrilegè eam polluentibus recuperarent, non dubitantes mori pro illa ciuitate, in qua Christus pro nobis mortuus est. Hos æmulatus fuit sanctissimus hic Ludouicus, qui in Palestinam non tantum copias transmisit, sed ipse quasi earum dux, relicto auito solo & regno, per tot terrarum mariumque spatia, maximis impendijs, laboribus & conatibus, semel & iterum traiecit, ut eam Saracenis extorqueret, & Christianis pristinis heredibus assereret. Resuscita, Domine, (votum, viri docti & pij est) hunc S. Ludouici zelum in Catholicis regibus & principibus, præsertim Turcæ limitaneis & confinibus, ut vnanimes in tantum opus conspirent. Sed & remotiores excita, ut in partem tam gloriosi operis veniant, ac nominatim S. Ludouici sequaces, heredes & cognomines, ut victoricia arma ab hereticis in Saracenos transferant; ac Francos ceterosque otiosi nescios, opere tam sancto occupent, ne ipsorum ardor quietis impatiens, in bellum vel ciuile, vel Christianum, quo sese inuicem collidant, turpemque dent maculam in gloriam suam, ac iram Dei in se concitent, erumpat: sed potius in Turcas, Tartaros & Saracenos, iuratos S. Trinitatis Christi que hostes, ad auitam & immortalem eorum gloriam, sese exerat. Hoc nomen Christianissimum eis hereditarium, hoc S. Ludouicus progenitor, hoc generosa indoles & animi celsitudo, hoc S. Ecclesiæ amor & fidei ardor, hoc victoriæ & trophæa contra Christi peruelles cœlitus data, hoc Præsules, hoc Pontifices, hoc fideles omnes iure suo ab eis efflagrant. ita P. Corn. a Lap. in aurea illa ad Sanctissimam Trinitatem dedicatoria epistola, quam doctissimis suis Commentarijs in minores Prophetas præfixit.

Pertinet verò hic sanctus etiam ad Belgium; fuit enim Dominus Artesiæ, quæ (ut Comitatus Flandriæ olim portio) ipsi obtigerat ratione auiæ Elizabethæ, quæ fuerat Philippi Alsatijs, Flandriæ & Hannoniæ Comitis filia.

Quinto

Quinto Kalend. Septemb.

28
August.

Hippone Regio in Africa natalis S. Augustini Episcopi & Ecclesiæ Doctoris eximij, qui B. Ambrosij Episcopi opera ad Catholicam fidem conuersus & baptizatus, eam aduersus Manichæos aliosque hæreticos, acerrimus propugnator defendit, multisque alijs pro Ecclesia Dei perfunctus laboribus, ad præmia migravit in cælum.

Vide cap.
23. Apoth
ipm t. fol.
134.

Annus obitus eius signatur apud Baron. aliosque accuratiore Chronographos, 430. paulo ante generale Concilium Ephesinum, ad quod à Theodosio Imp. per litteras fuerat euocatus; quarum hæc erat inscriptio:

*Venerabili Domino Augustino
Episcopo Hipponensi,
Theodosius Imperator.*

Repertæ sunt ex Paduæ in æde S. Justinæ Congregationis Benedictinorum, suntque præclaris encomijs grauidæ. Mortem eius deplorat Victor Vticensis talibus præconijs, ut ad consummatissimæ virtutis Præsulem laudandum, ijs nihil superaddi possit.

l. 1. perf.
VVandal

Memorable est quod de corde eius, viri grauissimi asserunt, habeturque rei gestæ historia, in altari S. Augustini Ecclesiæ nostræ Tungerloensis, olim depicta; nempe cor eius non esse coniunctum reliquo corpori, sed cum moreretur, vel ab Angelo, vel à quibusdam ipsius Augustini pijs cultoribus, visceribus reliquis exceptum fuisse, interque varias procellas temporum delituisse, quo vsque sub annum 951. Sigisbertus Episcopus Lugdunensis, S. Augustini præcipuè studiosus, diuinitus id ipsum accepit. Cum enim more solito in oratorio suo sub horam primam à Domino postularet se aliqua parte reliquiarum eius donari antequam vita decederet, subito obdormiuit, adfuitque Angelus cum vasculo crystallino admodum

F 3

pretioso,

pretioso, quod dum Angelus reuerenter in altari reposuisset, Ecquid dormis Sigisberte? ait: Expergiscere. Sum angelus quondam Augustini tutelæ traditus, qui etiam cordis eius singularem habeo rationem: sic enim Deo visum est, ne periret hoc quod tantopere in ipsius amorem exarsit, & quod adeo diuini amoris fategit, quodque tam subtiliter de Sanctissima Trinitate differuit. Quare exurge, & accipe munus à Deo tibi transmissum, in tui piorumque consolationem. quo dicto Angelus disparuit. Episcopus verò excitatus, respexit in altari pretiosissimam hanc vrnulam, in qua Cor D. Augustini erat tam vegetum tamque recens, ac si tum primò fuisset de corpore eiusdem acceptum. Episcopus autem per totam diœcesim congregato populo, hymnum *Te Deum* cantari iussit, cumque peruentum esset ad hunc versiculum, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, visum est cor nouo miraculo commoueri, palpitare & exultare, ac si recens fuisset fauciatū illa ter amabili sagitta S. Trinitatis. Similes motus habuisse fertur in anniuersaria die, cum eo in altari deposito, sacrum fieret, quoties S. Trinitas à sacerdote exprimeretur, vel liber eius de S. Trinitate conscriptus coram eo expanderetur. Idem facere solitum in Missa, quoties hæc verba recitabantur, *Sanctus, Sanctus*, &c. refert liber inscriptus, *Panis quotidianus*. Addunt insuper, quo tempore publicè solebat exhiberi, neminem hæreticorum ausum fuisse eam Ecclesiam intrare; quòd si quis attentasset, in limine diuinitus vel enecabatur, vel supinus prosternebatur. Qua de causa non male idem Sanctus depingitur cum hæreticis sub pedibus eius conculcatis vel emortuis: licet & eos tum voce, tum scripto conculcauerit viuus. Solebatque id ipsum Cor (quod nonnulli volunt arcanis sacrorum vulnerum Christi stigmatibus fauciatum fuisse) quibusdam sphaerulis seu amuleis attingi, quæ loco reliquiarum domum referebantur, estque nuper Monachij in Bauaria, argentea capsula inuenta, in qua seruabatur corculum ferreum magnitudinis vnus acini, obductum aureo circulo cum hac inscriptione:

Vide
Lanc. l. 3.
c. 43.

*Cor admotum vero cordi S. Augustini: ferreum
propter nimiam eius constantiam; & aureum
propter inflammatam eius caritatem.*

Possetque dici, cum depingi cum corde in manibus, quòd illud iam Deo ad obsequium offerat, quòd antea mundo & carni, ad immunditiam seruierat.

Illud interim non parum sanctissimum hunc Præsulem commen-
dat,

dat, quod cum diuersę sint Cœnobitarum Regulæ, vt S. Basilij, Benedicti & Francisci, sub eius tamen Regula, quam vnicam tantum scripsit, eamque Monialibus (vti benè probat noster Laurët. Landtmeter) plus quam 50. Religiosos Ordines militare: inter quos, post genuinam eius sobolem, Canonicos Regulares, nescio an alius præ nostro Præmonstratensi, sit magis ei vterinus; utpote quem è cælo ad terram descendens, Christo genuit. Extant pulcherrimæ & deuotissimæ ad eum Litanie, à sede Apostolica olim approbatæ, & nuper iussu R. D. Hadriani Stalparis Prælati nostri Tungerloensis typis Verdussij Antuerpiæ reimpressæ; quæ pio affectui erga hunc magnum Ecclesiæ Doctorem, & tot Religiosorum Ordinum Parentem augendo, mirificè inferuiunt. Mira sunt quæ de eodem in sua Africa narrat Ioan. Baptr. Gramaye, quæ apud eum Lectôr videat, & examinet. Plura forsitan ego alibi.

Com-
ment. in
Reg. S.
August.

Quarto Kalend. Septemb.

29.
August.

In Anglia S. Sebbi Confessoris, & Orientalium Saxonum Regis, qui relictis sæculi pompis, totum se Deo mancipauit.

Vide cap.
58 Apoc.
Spir. fol.
271.

Non vnum olim vt hodie, sed diuersos Reges habuit Anglia, qui diuersis illius Insulæ præerant prouincijs & populis, Reguli potius dicendi quàm Reges, prout etiam in Hybernia moris erat. Erat in Anglia rex Aquilonarium Saxonum, erat Australium, erat Occidentalium, erat & Orientalium, de quibus singulis vide Bedam in historia suæ gentis. Orientalibus autem Saxonibus præfuit hic sanctus Sebbi, teste eodem Beda, qui l. 4. c. 11. plura de eo refert, ex quo ceteri.

Considerat verò aliquando idem Beda hos Saxones veluti populum distinctum ab Anglis, vt l. 1. c. 15. Aduenerant, inquit, in Britanniam (ita postea Anglia dicta est, quæ prius Albion vocabatur, cum Australè eius partè Britones qui ex Aremorico Gallia tractu venerant, occuparent) de tribus Germaniæ populis fortioribus, id est, Saxonibus, Anglis, & Jutis. ita nãque legendum est iuxta manuscriptos codices, non, Vitis. Alibi tamen, vt l. 2. c. 2. 5. 9. & 22. Saxonum nomen

men:

men adeo latè accipit, vt ipsos etiam Anglos complectatur: Anglorum siue Saxonum gens, inquit, inuitata à rege Witigerno, Britanniam tribus longis nauibus aduehitur. vnde frequens apud veteres scriptores, Anglo-Saxonum appellatio, ex quibus oriundi fuerunt, Willibrordus, Suitbertus, Bonifacius, Eobanus, Arthalarus & alij primi Germanorum, Frisiorum & Barauorum Apostoli.

Præter Saxones, Anglos & Jutas, insuper Frisij seu Frisones ex Germania in Britanniam eo ipso tempore transferunt, vt Procopius l. 4. de bello Gothico testatur. Quem locum ex m. s. Codice Bibliothecæ regiæ Parisiensis à Francisco Pithæo integrè depromptum, vide in Britannia Guilielmi Camdeni.

Quod autem scribat Beda, hunc sanctum Regem paulo ante mortem habitum monasticum per manus Episcopi Londinensis induisse, nota Lector antiquissimam esse eam consuetudinem etiam apud Reges & Principes sub mortem vestem monasticam petere, induere, & in ea tumulari, ita de Manuele Comneno Imp. Constantinopolitano tradit Nicetas Choniates. de Theodoro Lascari iuniore Imperatore, Nicephorus Gregoras. de Andronico iuniore item Imperatore, idem Nicephorus l. 9. Fecerunt id ipsum post Wambam Hispaniarum regem, cui in infirmitate constituto anno 680. de consilio Episcoporum idem factum fuit, Iacobus & Alfonsus Aragoniæ, Fredericus & Robertus Siciliæ reges, sicut & Martinus IV. & Gregorius IX. Pontifex Max. qui primus habitum S. Francisci dicitur induisse, seque cum eo sepeliri mandasse. Sepultus est in eadem Franciscana veste superioribus annis, vt ipse viuus petierat, Albertus Pius Belgarum princeps laudatissimus. de quo factò, verè dicere possum:

1.7. An.

1. hist.

Rom.

Henr.

Sed in c.

15. vitæ

S. Francif.

Admirare orbis, mecumque stupefiscito calum;

Qui latet hoc vili regmine, quantuserat!

Austriadum Belgique caput, qui totius orbis

Et caput & Rector, si voluisset, erat.

Suspiciate hoc Reges. numquam magis ille superbit,

Numquam ante Albertus, plus in honore fuit.

Nempe humilis saccus, Tyrio præ murice fulget:

Et magis aurata veste, lacerna micat.

Ac licet indigna hæc videatur Principe: nulla

Dignior esse potest Principe, nulla Duce,

Non auro irradiat: verum virtute superba est,

Quaque

Quaque minus pretij, plus pietatis habet.

Secuta est maritum suum *Isabella Clara Eugenia*, quæ à morte amantissimi coniugis sui, habitum tertiæ Regule S. Francisci religiose induit, in eoque sanctissimè viuit, atque vt diu viuat, & æternùm viuat, omnes Belgæ mecum vouent.

S E P T E M B E R.

Tertio Nonas Septemb.

In Monasterio Stabuleto, depositio S. Remacli
Episcopi & Confessoris.

3.
Septem.
Vide cap.
34. Apot.
Spir. fol.
185.

Multa de hoc S. Episcopo refert Ioan. Chappeau. tom. 1. & 2. Chronici Episcoporum Leodiensium; quæ apud eum vide. Est verò *Stabuletum* (ad quod S. Remachus solitudinis amans, Episcopatu abdicato, sponte secessit anno 653. vbi & quiescit) Monasterium Ordinis S. Benedicti, à S. Sigeberto Franciæ & Austrasiæ rege in Silua Arduenna ædificatum, cui hodie præest Princeps & Episcopus Leodiensis, in cuius diocesi situm est.

Stabulo.

Sexto Idus Septemb.

3.
Septem.

Natiuitas beatissimæ semper Virginis Dei genitricis Mariæ.

Vide cap.
11. Apot.
Spir. fol.
78.

Merito Sanctissimæ huius Virginis Natiuitas, publico festo fidelibus solemniter est; ea enim (vt canit Ecclesia) gaudium annuntiauit vniuerso mundo: ex qua ortus est sol iustitiæ Christus Deus noster; qui soluens maledictionem, dedit benedictionem; & confundens mortem, donauit nobis vitam sempiternam. Quantum autem ex historijs Ecclesiasticis compertum haberi potest, à Concilio Ephesini temporibus, in quo execranda illa Nestorij hæresis

G

sis

sis damnata atque proscripta est, qua sanctissimæ Mariæ Virginis titulus ille supremus, *Dei Genitricis* impiè auferebatur, animaduvertitur (secundùm illud Prophetæ: *In tribulatione dilatasti mihi*) magis magisque in dies toto orbe Christiano beatissimæ Virginis cultum, auctum amplificatumque fuisse: quamuis non sit certum eo præcisè tempore hanc festiuitatem fuisse institutam: licet satis constet tam à Græcis quàm Latinis, eadem animi pietate, concordique studio & religione antiquissimè fuisse celebratam.

Octauam verò habet hæc festiuitas, sicut & Assumptio eiusdem Virginis; de qua ita Iacob à Voragine: Octaua Natiuitatis B. Mariæ olim non celebrabatur, sed Dominus Innocentius IV. natione Genuensis, ipsam instituit celebrandam. Gregorio enim IX. per mortem sublato de medio, Romani omnes Cardinales in quodam conclau concluserunt, vt citiùs Ecclesiæ prouideretur: sed cùm per plures dies concordare non potuissent, & ipsi à Romanis multas molestias sustinuissent, vouerunt Reginæ cæli, quod si eius meritis concordarent, & liberi abire possent, Octauas suæ Natiuitatis diu neglectas, de cetero statuerent celebrandas; sicque in Dominum Cælestinum conuenerunt, & liberati per Dominum Innocentium votum adimpleuerunt. Cælestinus enim modico tempore superuixit, & idè per eum impleri non potuit. Hactenus Iacob à Vorag.

In Ordine insuper nostro Præmonstratensî, etiam eius Visitatio plenam suam habet Octauam.

Sexto Idus Septemb.

Eodem die Nicomediæ S. Hadriani martyr is cum alijs viginti tribus, qui omnes post multa supplicia sub Diocletiano & Maximiano Augustis Martyrium consummarunt quarto Nonas Martij. Eorum reliquiæ à Christianis Byzantium delatæ, reuerenti honore sepultæ fuerunt: inde postea S. Hadriani corpus hac die Romam translatum fuit, in qua ipsius festiuitas potissimum celebratur.

3.
Septem.
Vide cap.
18. Apot.
Spir. fol.
110.

Celebris huius sancti Martyris memoria est in pago Rauelensi (qui est Territorij Tungerloensis) vbi magna deuotione à fidelibus contra pestem solet inuocari. Habet etiam comparam suam *Nataliam* Ecclesiasticis tabulis adscripam, quæ sanctis Martyribus Nicomediæ in carcere detentis, multo tempore ministravit, impletoque certamine, Constantinopolim profecta, ibidem in pace quieuit. A qua discant reliquæ coniuges, suos maritos Christo lucrifacere, sicut & Cæcilia suum Valerianum, Monica suum Patricium, Clotildis suum Clodouæum, Maria Ogniacensis suum sponsum Christo lucrata sunt. Aliàs verendum ne illud Evangelicum eis contingat: *Erunt duo in lecto vno: vnus assumetur, & alius relinquetur.* Atque eò magis huiusmodi vxores laudandæ sunt, quò rariùs inueniuntur. Plures namque viros suos à Deo auertunt, quàm ad eum conuertant; exemplo primogeniæ matris nostræ & earum patronæ, *Euæ.* Serpentinum enim ad decipiendum mulieris ingenium est, quæ vel solo nictu oculi viros nouit intoxicare. Vt proinde prudenter Confessarios admonerit grauis quædam & casta matrona, cauerent sibi ab aspectu & longis colloquijs feminarum. ego enim, ait, certa sum non esse virum tam sanctum, tam constantem, quem non fle-

Rauels.

Etiam quod velim, si cum eo ad quadrantem horę colloquat, isq; oculos meos intueatur.

Prò, quanta potentia regni

Est Venus alma tui!

Prouidè igitur & eleganter Christianus poëta :

Quid facies, facies Veneris cum veneris ante?

Non sedeas, sed eas, ne pereas, per eas.

Serpentini siquidem sunt oculi, facies, corpora & colloquia feminarum, quibus ne emorientibus quidem fidem habeas. quamquam maior sit culpa viri, qui sapientior ab insipiente muliere se decipi patitur. Quod enim animus est corpori, id virum oportet esse mulieri.

Scribo hunc sanctum Martyrem cum aspirante littera, *Hadrianum*, quia ita me politoris litteraturæ & historiæ principes, Just. Lipsius & Cæf. Baronius alijque melioris notæ, in suis scriptis passim docent. Fuit & alius martyr *Hadrianus* Nicomediæ passus, filius scilicet *Probi Cæsaris*, qui *Licino* persecutionem in Christianos commotam exprobrans, ab eodem iussus est occidi, cuius corpus *Domitius Byzantij* Episcopus, eius patruus *Argyropoli* sepeliuit, vt habet *Martyrol. Rom. 28 Augusti*

Quin & nostra *Campania Brabantina*, ac *Ordo Præmonstratensis* suum habet *Hadrianum Hiluari-becanum* martyrem, qui cum 38. socijs prope *Brilam* *Hollandiæ* oppidum, pro fide *Catholica* mortem fortiter suspendio obiuit anno 1572.

Crurifragium autem, quo *S. Hadrianus* in martyrologio ponitur necatus, immane admodum erat supplicium. errant enim qui illud non aliud fuisse putant, quàm cum cruci affixis crura suffringerentur: nam crucifixorum crura frangere, vt citius morerentur, apud *Iudæos* tantummodo erat in vsu, quibus lege præcipiebatur vt eodem die corpora eorum deponerentur de cruce, atque sepelirentur. Gentiles autem vsque ad putrefactionem sinebant ea permanere. *Crurifragium* itaque martyrum, atque huius *Hadriani*, ita in actis eius (quæ germana esse noscuntur) describitur: *Jncus* parabatur (ideoque cum ea pingitur) vnà cum veete ac malleo ferreo; iubebantur miseri tibias imponere super *incudem*, quas *ferus carnifex* veete vel malleo validis ictibus suffringebat. Meminit eiusdem *Plautus* in *Pœnul.* dum ait: *Et Syncerasto crurifragium fecit.* Irrogari solitum erat vilioribus tantum personis, vel ob immane aliquod scelus. Ceterum complures nobilium, quod Christiani essent, &

Deuter. c.
21.

ob

ob hanc causam viliosis conditionis habiti, crucifragio necati reperiuntur; quod & hodie apud barbaras nationes in usu esse dicitur.

Quarto Idus Septemb.

10.
Septem.

Tolentini in Piceno depositio S. Nicolai Confessoris Ordinis Eremitarum sancti Augustini.

Vide cap.
40. Apot.
spirit. fol.
207.

Tolentum Italiae oppidum est, à quo Tolentines populi dicti Plinio cap. 13. l. 13. Picenum verò, regio eiusdem Italiae est trans Apenninum montem, & ab ipso usque ad mare Adriaticum extensa, inter Aesim & Leustrum fluuios. hodie ab Ancona celeberrimo emporio, Marchia Anconitana appellatur, pluitque in ea lapides, qui strages illas indicabant futuras, quas Hannibal intulit Italiae, quando

Montes diffregit aceto.

De hoc Ordine Eremitarum diuersi diuersa, disputaturque acriter num à S. Augustino vt à primo institutore & parente originem traxerint. illis aientibus, alijs mordicùs negantibus. Ego quoniam Historici certant, & adhuc sub iudice lis est, eius diuitor non facile fuero: tantum adducam quæ ab Azotio probabiliter valde scribitur dum ait: Augustiniani Ordinem suum in B. Augustinum vt in primum institutorem & parentem, referre contendunt, testanturque Eremitas (quorum ille, secundùm ipsos, caput extitit) seniente Wandalorum perfidia ac immanitate, & monasterijs per Africam partim igne exustis, partim ferro vastatis, in Italiam commigrasse, & in ea primùm, deinde verò in Gallia, Germania, Hispania & Anglia sparsim domicilia extruxisse, in quibus sanctè ac ritè usque ad Innocentij III. tempora vixere, &c. Alijs autem similis vero videtur, Eremitas ante Augustinum in Aegypto, Palaestina, Syria, Thebaide, Antonio, Hilarione, Macatio, Pachomio magistris ac ducibus esse institutos, nec forsitan B. Augustinum Eremitam fuisse, sed in Africa Eremitas salutaribus monitis, consilijs, doctrina & præceptis imbuisse. Sic enim S. Martinus Turonensis Episcopus in Gallia, Simplicianus

Strab. l. 5.

Tom. 5.
institur.
mora. l.
12. c. 23.

plicianus Mediolani, Basilius in Cappadocia, monachis viuendi formulam tradiderunt, & aliqua eorum Cœnobiaz, non parum auctoritate sua, prudentia, consilio & præsidio sustentarunt. Post Augustinum verò per Occidentem sparsi Eremitæ vixerunt, non vnum quidem in Ordinem redacti, nec vno nomine vocati, nec eodem vestitus genere vsi, nec eisdem constitutionibus adstricti, nec vni capiti subiecti. Guilielmi sanè Aquitanie olim Ducis & Pictauiensium Comitum ad Eremiticam vitam conuersi opera & imitatione, trans Alpes in Germania, Gallia, Illyrico & Hispania aliquot Eremitarum domicilia constituta fuisse perhibentur. Vnde & Guilielmitæ appellari cœperunt, & in Italia cuiusdam Joannis cognomento Boni Eremitæ, studio & pietate sunt etiam extracta & fundata nonnulla Cœnobiaz: ac tandem Alexander IV. omnes Eremitas diuersorum Ordinum per Occidentem dispersos (quorum alij Guilielmitæ, alij Fratres Joannis Boni, alij Fratres vulgo de pœnitentia Iesu Christi, alij alijs nominibus dicebantur) in vnum Ordinem coëgit & restrinxit, præcipiens omnibus, vt vnâ S. Augustini regulam profiterentur, & eodem nomine vocati, iisdemque constitutionibus deuincti, & eodem amictus genere vsi, vni totius Ordinis Priori generali parerent, qui anno 1256. primus creatus est Lanfrancus Septulanus Mediolanensis; tuncque erasis omnibus alijs Eremiticarum congregationum nominibus supra nominatis, vna illa dumtaxat appellatione vocari cœperunt, videlicet *Eremitæ S. Augustini*, eò quòd eius Regulam professi, amictum & cingulum quo nunc vtuntur, sibi delegerint. atque ita, vt B. Antoninus scriptum reliquit, vnus è multis, Eremitarum S. Augustini nomine, conflatus est Ordo. Hæc & plura Azorius; quem tamen non puto in ea esse sententia, quod velit S. Augustinum nigro eorum amictu & cingulo quandoque vsu fuisse, multò minus vt Eremitam in eremo & monte, nescio quibus, vixisse. Quæ omnia ad veritatis normam examinata, noster Laur. Landtmerer, in tractatu de Canoniceis Monachis, prope diem in lucem dabit. nam *Veritas vincit*.

Quibusdã in locis reperiuntur nominati, *Gratiani*, seu *Religiosi de gratia*, eo quod per beneficiũ seu gratiam D. Virginis albam vestem retinuerint, quam subtùs gerunt, cum Benedictus II. eam quorundam precibus commotus, illis velle auferre. de quo consule Lanciottum.

l. 2. c. 5.
vit. S.
Aug.

Denique à supradiçto Joanne Bono, scribit Jacobus Bergomas,
S. Fran-

S. Franciscum, antequam Ordinem suum institueret, habitum Eremitarum S. Augustini accepisse, adeoque primò Augustinianum fuisse. Sed refutat eum Henricus Sedulius in Commentarijs ad vitam eiusdem sancti c. 2.

Pridie Idus Septemb.

Anderlaci in Brabantia S. Guidonis confessoris, qui post septennem & laboriosam peregrinationem, hic peste interijt; vbi sacræ eius reliquæ sub frequentia miraculorum visitantur.

Infirmi mundi elegit Deus vt confundat fortia; & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret. Fuit enim hic Guido opilio seu rusticanus pastor ouium, quod vitæ genus licet hominibus abiectum & contemptibile videatur, Deo tamen gratum & acceptum est: *Virtus enim Dei in nostra infirmitate perficitur*: nam Spiritus Sanctus tam potens est, vt inopes, ignorantes & miseros euehat ad summam scientiam, sanctitatem & gloriam. De quo ita S. Gregorius: Ecce Dauid, Amos, Daniele, Petrum, Paulum, Matthæum intueor, & Sanctus iste Spiritus qualis sit artifex, considerare volo; sed in ipsa mea consideratione deficio. Implet namque citharædū puerum, & psalmistam facit. Implet pastorem armentarium sycamoros vollicantem, & prophetam facit. Implet abstinentem puerem, & iudicem senum facit. Implet piscatorem, & prædicatorem facit. Implet persecutorem, & Doctorem gentium facit. Implet Publicanum, & Euangelistam facit. Oqualis est artifex iste Spiritus! nulla ad discendum mora agitur in omne quod voluerit. Mox enim vt tetigerit mentem, docet; solumque tetigisse, docuisse est: nam humanum animum subitò vt illustrat, immutat, abnegat hoc repente quod erat, & habet repente quod non erat. Idem ille Spiritus Guidonē nostrū impleuit, & ex humili, simplice atq; idiota bubulco, nobilem, doctum ac gloriosum celestis vrbis fecit inquilinū. Et certè videtur singulari prouidentia hoc genus hominum sibi

12.
Septem.
Vide cap.
59. Apot.
Spir. sal.
273.

1. Cor. c. 7

1. Cor. c.

12.

Homil.

30 in

Euang.

Monchii le
Preux.

Chrys.
Vand.
Ster. in
natal. SS.
Ord. Præ.
Guil.
Crip. Ec-
cle. Rure-
mond. &
Au. Mir.
alijque.
Archiua
Bernard.
Cœn.

C. 3.

fibi Deus præelegisse. Opilio namque fuit S. Cuthbertus, qui ani-
mam S. Aidani in cælum deferri vidit. Opilio B. Joannes Monchiace-
nus, qui quiescit in Monchiaco Petroso Artesiæ pago, II. ab Atreba-
to milliari, frequenti peregrinantium concursu honoratus. Opilio
fuit S. Isidorus Madritensis, quem anno 1622. 12. Martij ipso festo
D. Gregorij Papæ, Gregorius XV. solenni ritu in Divos retulit, vñ
cum Ignatio Loïola Societatis Jesu Conditore, Francisco Xaverio
Indorum & Japonum Apostolo, Philippo Nerio Presbyterorum
Oratorij antesignano, & Teresia Carmelitani Ordinis instauratrice.
Opilio fuit seu subulcus Ven. noster Aldericus, qui conculcata mundi
gloria, ex nobilissimo Principe Franciæ, post visitata sanctorum li-
mina, in Cœnobio Fussenich, velut alter Alexius latuit, mundo inco-
gnitus: cuius defuncti corpus communi loco sepultum, tertio exhuma-
tum inventum est; quod demùm in Ecclesia, loco illo quem
cælesti luce Deus aliquoties designauerat, conditum fuit: vbi nunc
in Tumba eleuata honorificè requiescit. Opilio fuit & subulcus S.
noster Gerlacus, qui ex præscripto Eugenij IH. Jerosolymis totum
Septennium in porcorum, aliorumque animalium cura exegit. Opi-
lio item fuit Ven. noster Folcoldus, Cœnobij Bernensis prope Heuf-
denum fundator, qui Comitatum Teisterbandiæ in humilem Præ-
monstrati Ordinis commutans professionem, elegit magis abiectus
esse in domo Dei, quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Opilio
denique fuit, qui miraculosam illam totoque orbe celebrem Alpri-
collensem Iconem superioribus annis inuenire meruit, de quo ita
Marianorum beneficiorum magnus præco Lipsius:

Beate pastor cui Sacratam Imaginem

Datum inuenire & tangere.

Beata vita rustica! O vita innocens,

Amica semper Numini!

Te solitudo, & à malis secretio

Cælestium iungit choris.

¶ *Habet & Ordo noster Præmonstratensis suum Ven. Gnidonem, qui*
æquæ hic Anderlacensis, peste obiit post an. 1125. Fuitque ex Eremi-
ta fundator Cœnobij nostri Viconiensis, Britānus patria, genere no-
bilis, ordine sacerdos, secessitque in vicinā Valencenis siluam Deo
vacaturus, atque erumpentibus sanctitatis suæ radijs, cum multos in

Vander.
Sier. sup.

sui æmulationem pertraxisset, cum iisdem sese Præmonstratensi Ordini subiecit, in quo pauperum egregius consolator, migravit à sæculo, aeternum victurus cum Christo.

Porro S. Guido Anderlacensis sanctissimè in Domino obdormiuit anno 1012. vt ex monumentis Ecclesiæ Anderlacensis probat Miræus, non autem anno 1112. vt Molanus, eumque secutus Baronius existimarunt.

Decimo octauo Kalend. Octob.

14^o
Septemb.

In Africa passio S. Cypriani Episcopi Carthaginensis, sanctitate & doctrina clarissimi, qui sub Valeriano & Gallieno principibus, post durum exilium, detruncatione capitis martyrium consummauit, sexto milliario à Carthagine iuxta mare.

Vide
cap. 32.
Apoth.
Spir. fol.
178.

Locus passionis eius, *Ad Sextum*, dictus fuit, à sexto videlicet ab vrbe Carthagine lapide, itemq; *Mensa Cypriani*, non quod ibi sit vmquam Cyprianus epulatus, sed quia ibi est immolatus; perillustri basilica olim honoratus, sicut & locus vbi sepultus fuit, dictus, *Ad Decimum*, quod tot passuum millibus à Carthagine distaret: item, *Sepulchrum Cypriani*, ad quod è transmari- nis vsque regionibus frequens erat accessus fidelium & suspicor alteram harum Basilicarum fuisse illam Memoriam, hoc est templum, mari vicinam, in qua S. Monica precibus intenta pernoctauit, quando à filio suo Augustino Româ proficiscente eius mendacio delusa fuit. Quæ Memoria, vt refert Nicephorus, maximè frequentabatur à nauigantibus & negotiantibus, quod in ea Dei Martyrisque opem inuocantes, eandem frequenter experiuntur contra maris pericula.

August.
Ser. 113.
de di-
uers.
Seuer. l. 1.
dia. og.
l. 5. Conf.
c. 8.
l. 16.

In Italia item, celeberrima fuit sancti huius solemnitas, dicta, *Celebritas Cyprianea*, vt scribit Procopius de bello VVandalico. Cauendum autè ne quis cum Gregorio Nazianzeno Metaphraste, alijsque Græcis in eum labatur errorem, vt eundem hunc existiment cum

H

Cypriano

Martyr.
Rom 12.
Octob,

Cypriano mago, qui passus est cum Iustina Virgine 26. Septemb. quos constat multis differentijs esse distinctos. Neque cum Cypriano æquè Africano Episcopo, qui sub Hunnerico rege Ariano cum quatuor millibus nongentis sexaginta sex, Episcopis, presbyteris, diaconis, ad sociatis sibi turbis fidelium populorum, pro defensione Catholicæ veritatis, in horribili eremi exilium trusus fuit. Ex quibus plurimi dum à Mauris crudeliter ducerentur, hastilium cuspidibus ad currendum impulsis, & lapidibus tumsi, alij ligatis pedibus velut cadauera, per dura & aspera loca tracti, & singulis membris discerpti, ad extremum variè cruciati, martyrium celebrarunt. Fuit enim olim Africa in persecutionibus pro fide Catholica perferendis, constantissima, multorum millium martyrum, tam è populo quàm Clero, purpurata sanguine. Sed postmodum cheu! peccatis populorum exigentibus, à Saracenis & Turcis in mancipatum reducta, magnum fidei passa est deliquium, & serenus ille sol Constantiæ, eclipatus est. Felix nostra Belgia, quæ tanti sacerdotis & tam gloriosi martyris honorata est exuuijs, quarum visendarum gratia, lubens Carthaginem perreiturum se fuisse, scribit Ioan. Haius Theolog. & Canonicus Tornacens. ad *Vigilium Zuichemium*, secretioris Consilij Præsidem, dum ita ait ad eundem:

Quemadmodum gloriatur Cicero, nobilissimam Siciliae civitatem Syracusas acutissimi ciuis sui Archimedis monumentum ignorasse, donec ab homine Arpinate & peregrino illud didicisset: Sic tanti tamque celebris hospitis, Cyprianum dico, perpetua sanè ignorantia Belgium laborasset, nisi vestræ monitionis classico, tamquam reuelatione quadam solenni, innotuisset. Bruxella enim non ita pridem reuersus percunctari cœpi, num aliquando D. Cypriani corpus Rotnaci quiescere audissent, qui eò aliquando fuissent profecti. Illi planè ignorare se affirmauerunt: celebre quidem illic esse SS. Hermetis & Cornelij nomen, sed de Cypriano nihil. Ideoque me accinxi itineri, & satis prolixo sermone habito cum Canonicis, illi me deduxerunt ad gazophylacium templi, ibique meis oculis exposuerunt feretrum cupreum deauratum, Apostolorum imaginibus interstinctum, in tres veluti distinctum capsulas laminis tribus deauratis, quod opus antiquissimum iudicarunt adhibiti aurifices: cuius longitudo quinque fere pedes æquat, in cuius margine tales inscribuntur versus:

Duplex vita tenet calos, hic ossa tuentur,

Ossa

*Offa sigillauit hic operosa manus.
Sufficit ad vitulum. Celestinum capit aula,
Gaudet in calis Cornelius & Cyprianus.
Vita Celestini gladio fuerat data fini:
Cornelius gladij suscepit acumine funus:
Cum quo bis deni gladio caduntur & vnus.
Carnificisque manu sic passus erat Cyprianus.
Hic Celestinum sanctoslocat & Cyprianum.
Hic est demonium pellens morbumque caducum.
Hæc breuis arca, Patres coniungit Apostolicos tres.*

S. Her-
mes.

Hactenus ad Viglium Haius; quæ Iacob Pamelius suis ad Cyprianum prologomenis, & Aub. Miræus suis factis Belg. inseruit, apud quem plura de Cælestino & Hermete vide. Est verò Rotnacum ciuitas Flandriæ, vulgò *Ronsen*, Gallicè, *Renais*, nobili Canonicorum collegio insignis.

Eodem hoc die celebrat vniuersa Ecclesia Exaltationem S. Crucis, quando Heraclius Imp. Cosrohe Persarum rege deuictò, eam ex Perside Jerosolymam reportauit. cuius Crucis signum dixi in Vide cap. 70. Apoth spirit. fol. 333. Apotheca mea, latiusque idem probaui, esse præsentissimum contra pestem remedium. Eius partes seu fragmenta, in varijs Ecclesijs Belgij, vt & in nostra Tungerloensi, religiosè asseruantur. Sicut & Crucis Andreanæ magna pars turri argenteæ inauratæ inclusa, iam inde à temporibus Philippi Boni Burgundiæ Brabantiaque Ducis (qui Ordinem aurei velleris in honorem S. Andreæ Brugis anno 1430. instituit) Bruxellis asseruatur in palatio, & quotannis ibidem in Ara Sacelli exponi solet pridie Kal. Decemb. Soletque hæc Crux Andreana seu Burgundica, in formam X depingi, quam veteres Crucem decussatam nuncupant, & habebat humi defixa duo brachia inferiora, vt artus suspendiosi in quatuor crucis cornua tenderentur. Vide Lipsium, Gretserum, & alios qui de Cruce scripserunt.

Duodecimo Kalend. Octob.

20
Septemb
Vide cap.
62 Apot
Spir. fol.
220.

Romæ passio sanctorum Martyrum Eustachij, & Theopistis vxoris eius, cum duobus filijs Agapio & Theopisto, qui sub Hadriano Imp. damnati ad bestias, sed Dei ope nil læsi ab eis, in bouem æneum candentem inclusi, martyrium consummarunt.

Milles hic fuit & Præfectus militum, qui tam Christianus quem gentilis, egregiam Romano imperio nauauit in bello operam. Neque enim vniuersaliter de omnibus militibus verum est quod quidam dicere solebat: *Rustici passua sunt militum; sed milites passua sunt demoniorum.* & illud:

Nulla fides, pietasque viris qui castra sequuntur.

Quin immò è contrario, si Tabulas Ecclesiasticas vel obiter euolueris, inuenies magnam sanè cælestis Ierusalem partem, à militibus ædificatâ; qui potius exquisitissima tormenta pati, immò & sanguinem ac vitam profundere elegerunt, quàm semel susceptam Christi fidem, vel verbo abnegare: quod tam multæ Legiones, tam multa millia militum ipso facto satis ostenderunt. atque inter primos Ecclesiæ Episcopos, quos eius sacrum visibile Caput S. Petrus ordinauit, Centurio militum Cornelius fuit, per quem primum, Deo monente, apertum est ostium fidei gentibus. ideoque eius sedes Cæsariensis, singulari prærogatiua meruit exaltari, vt non solum Ierosolymitana, sed ipsa fieret metropolis Palæstinæ. Centuriones in Euangelio memorati, & à Christo Domino laudati, omnibus satis cogniti sunt. Verum illud Ignulphi de Saxonibus, & Sarisburienfis de Nortmannis, forsitan non ita. Referunt illi, vt qui militiae legitimæ adscribendus erat, præcedenti vespere ante Episcopum aut alium sacerdotem, contritus de peccatis confessionem faceret, & tota nocte in Ecclesia orans permaneret; postridie sacrum audiret, gladium supra altare offerret: quem post Euangelium, sacerdos iam benedictum, militis collo cum noua benedictione appendebat, itaque

que sacris Christi mysterijs communicatus, miles permanebat. Alium ritum adscribendi quempiam in militem, vide in præfatione Ioannis Molani tractatui de sacra Militia præfixa, vbi ex Petro Capucio Cardinale refert, quod Miles debeat esse,

Magnanimus in aduersitate,

Ingenuus in consanguinitate,

Largifluus in honestate,

Egregius in curialitate, &

Strenuus in virili probitate.

atque insuper cum deuota recordatione officium dominicæ Passionis diurnatim audire, pro fide Catholica audacter corpus exponere, sanctam Ecclesiam, eiusque ministros à quibuscumque grassatoribus liberare, viduas, pupillos, & orphanos in eorum necessitate protegere, &c.

Theodorus Balsamon scribit Phocã Imperatorem magnis studijs contendisse, vt milites quos in bello aduersus Christianæ fidei hostes occidi contigisset, inter martyres censerentur, sed ab instituto penitus cessasse, cum ei restitissent Constantinopolitanus & alij Antistites, vtentes potissimum authoritate S. Basilij, cuius esset canon pœnitentialis, de ijs qui in bello fecissent homicidium, vt non impartiretur eis sacra communio absque præua pœnitentia. Volebat autem Phocas Imp. hac via eneruatum militum robur erigere, quos videret annis singulis à rege Persarum sterni atque fugari: probè sciens non viros tantum, sed & feminas ætate tenellas, eiusmodi spe martyrij omnia fortiter tormenta superasse. Idem postea denuò proposuit Nicephorus Imp. verum Episcopi eum ab incœpto coercuerunt. Et meritò; licet enim tales, si pura intentione pro fide pugnent, plurimum mereantur, non tamen sunt martyres, si in bello occumbant, quia martyr debet in patiendo imitari Christum, cuius passio est exemplar martyrij. Vnde sicut ille dedit testimonium veritati patiendo, non repugnando: ita omnes qui volunt esse martyres Christi, non debent persecutori armis repugnare, sed sinere se tranquillè occidi: quia qui pugnans moritur, non eligit pro fide mortem perpeti, sed inferre. vnde re vera non acceptat mortem, nisi indirectè, quatenus se periculo exponit. neque moriendo dat testimonium veritatis fidei, quia non videtur mori vt Christianus, sed vt miles victus ab hoste: nec mortem eligit voluntariè, sed patitur necessitate, eò quòd non potuit eam hosti inferre. Erit tamen mar-

in c. 13.
Basil. ep.
ad Amphil.

Vide Les.
l. 3. de
Iust &
iure c. r
dub. 3.

tyr, si iam victus, odio religionis occidatur, & ille ob eam causam, mortem acceptet.

OCTOBER.

Kalendis Octob.

Octob.

Vide cap.
21. Apot.
Spir. 101.
124.

Rhemis in Gallia S. Remigij Episcopi & Confessoris, qui gentem Francorum conuertit ad Christum, Clodouæo ipsorum rege sacro fonte baptismatis, & fidei sacramentis initiato; & cum annos septuaginta in Episcopatu expleisset, sanctitate & miraculorum virtute conspicuus decessit è vita Idibus Ianuarij: cuius tamen festiuitas hac die recolitur, qua sacrum ipsius corpus postea fuit translatum.

Dvplici titulo hic sanctus ad Belgium pertinet: vno, quod Clodouæum Geldrum adeoque Belgam baptizauerit: altero, quod rem Christianam apud Belgas ac Germanos inferiores restituerit, ac mirificè propagauerit. Dedit Atrebatibus & Cameracensibus *Vedastum*, Tungrensibus *Agricolaum*, Tornacensibus *Theodorum*, Morinensibus *Antimundum* & Colonienensibus *Aquilinū* Fuit enim Atrebatensis Ecclesia vnà cū Cameracensi, Tornacensi & Morinensi, multis tēporibus Rhemensiu Archipræsuli ceu Metropolitano subiecta: quæ subiectio adhuc anno 1095. durabat, quādo opera Raynoldi Rhemensiu Archiepiscopi, Atrebatensis Ecclesia à Cameracensi separata, proprium accepit Episcopū *Lambertū*, Cantorē Insulanum & Teruanensem Archidiaconum. Rhemensem porro ciuitatem, vt antiquissimam Richardus Vitus libro primo hist. Britan. scribit à Rhemo, Nannetis Celtarum & Britannia regis filio, anno ab orbe condito 2754. tempore Ragau, Phalegis filij ædificatam, & nomen sortitam fuisse: cuius primus Episcopus fuit *S. Sixtus*

Locrius
in Chron
Belg.
1095. &
364.

S. Sixtus, à S. Petro circa annum Christi 46. illuc, & ad Sueffionen-
ses missus. Democh-
in tab.

Communis inualuit opinio (& sequitur eam hîc Martyrologium Romanum) Gregorij Turonensis & Hincmari testificatione fundata, S. Remigium septuaginta annos & amplius in Episcopatu sedisse: vt qui creatus habetur Episcopus anno Christi 471. & peruenit ad annum 545. Verum difficultatem facit quod in Actis Synodi Aruernensis, anno 541. sub Honorato Archiepiscopo Bituricensi celebratæ, reperiatur Flavius Rhemensis Episcopus IX. loco subscripsisse, qui Romano S. Remigij immediato successori subrogatus fuit. ex quo, errore deceptos esse patet, qui S. Remigij obitum referunt ad annum 545. Certè par erat Antistitis celeberrimi, Francorum Apostoli, ex hac vita ad Deum transitum, certis signasse die & anno. Quidquid tamen sit, certum est eum longissimo tempore, & quinquaginta annorum spatium longè excedente, sedisse: vtpote qui anno ætatis 22. ob singularem & incredibilem animi eius virtutem & expectationem, idque more Apostolico præcedentibus prophetijs ordinatus est Episcopus. Dicitur ob ætatis prolixitatem, Jubilæus. Ex quo discimus, non nuperum esse, vt Iubilarios honorare, qui laudabiliter 50. annos in sacerdotio, aut, quod rarissimum est, in Episcopatu exegerunt.

Vocatur eius festus dies in Concilio Pistensi c. 3. *Missæ S. Remigij*, more Francorum, nomine Missæ, pro festiuitate, accepto. Sicut & in Capitularibus Regum Franciæ l. 2. c. 18. *Missæ S. Martini*. qui modus loquendi, etiam nobis Belgis in vsu est: Sinte Martens Misse. Sint Ians Misse. Bamis, sine, Bauens Misse, de quo versus extat:

Anteperit mundus, veniat quàm Bano secundus.

item, Kerck-Misse, hoc est, festum Ecclesiæ dedicatæ. Ker smisse, id est, Missa Christi nati, &c. Ac probabiliter mutuati id sumus, & nobis adhæsit, à Francis, quibus magna pars Belgij olim subfuit. Aut ipsi à nobis.

Sexto-

Sexto Nonas Octob.

2
Octob.

Festiuitas S. Angeli Custodis, qui nos in spiritualibus, & corporalibus multipliciter custodit.

H Abent omnes homines, etiam infideles ac nequissimi, (quorum caput Anti-Christus erit) à die natiuitatis suæ; imò & singula regna, ciuitates, pagi, ac Monasteria, Angelum Custodem, speciali Dei prouidentia, illorum tutela deputatum, à quo innumera, eaque maxima, tum animæ, tum corporis beneficia recipiunt in dies. Quocirca vt erga eum gratiores essemus, eiusque protectionem & custodiam magis promereri nobis possemus, S. D. N. Paulus V. omnibus Christi fidelibus eius festum liberè celebrandum concessit, prima die non impedita officio IX. Lectionum, post festum dedicationis S. Michaelis Archangeli, Missa & officio Ecclesiastico peculiariter ad hoc ordinatis: in cuius hymno Matutinali, quod ad rem nostram pertinet, ita orat Ecclesia:

Metum propellat hostium

Nostris procul de sinibus:

Pacem procuret ciuim,

Fugetque pestilentiam.

Ipse etiam Angelus Raphael, qui Tobiam à cæcitate sanauit, hoc carmine Sapphico communibus votis expetitur:

Angelum nobis medicum salutis

Mitte de calis Raphael, vt omnes

Sanet agrotos, pariterque nostros

Dirigat actus.

Ioannis quinto capite, Angelo descendente in probaticam piscinam, & mouente aquam, qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat, à quacumque detinebatur infirmitate. Quem angelum nonnulli dicunt fuisse iam proximè memoratum Raphaelem, eo quod nomen eius, medicum significet, cuius officium est sanare. Licet id non prober Maldonatus in eum locum, existimans id diuinæ maiestati minus congruere. Nec enim credendum est, inquit, Deo vnum tantum Angelum, vna in re ministrare, cum

omnes

omnes sint administratorij spiritus. Nemo rex non multos habet medicos, & existimabimus Deum vnum tantum habere? Quæ sanè, pace eius dixerim, non multum vrgent. Si enim certo regno certum Angelum deputat, cur non etiam particularem ad hunc effectum, particularem quempiam, quia ita voluit, potuit deputare? quod tamen an ita fecerit, non definio, quia ignoro. Hilarius in psalm. 137. ^{Reg. 6.} ita scribit: Helizæus absolutissimè docuit, humanas infirmitates Angelorum auxilijs defendi, & in omnibus periculis, si fides maneat in nobis, adesse spiritualium virtutum defensionem. ex quo tamen non conuincitur fidelibus tantum esse angelum deputatum; contrarium enim à Theologis communiter defenditur, & ex c. 10. Danielis probatur, vbi dicit Gabriel Angelus, pro suis Judæis, vt in patriam reducerentur, sollicitus: *Princeps autem*, id est, Angelus Custos. *regni Persarum*, qui tunc infideles adhuc exant, *restitit mihi* &c. ^{1. p. 4. 106.} qui ideo vocatur Princeps, quia Principatus, vt inquit Molina, tutelares sunt regum & regnorum. Archangeli verò tutelares sunt prouinciarum; Angeli, hominum singulorum.

Id quoque credendum est, Angelum custodem, fidelissimè officium suum præstare, erga clientem suum peste infectum. Cùm enim serpens callidissimus calcaneo nostro in sidietur maximè, sed & nullo tempore nos obpugnet grauius, quàm cùm ex hac vita nobis migrandum est, non dubium, quin in ea necessitate, quando communiter ab omnibus alijs derelinquimur, neque consueta Ecclesie remedia ad resistendum ei, ita passim ad manum sunt, Angelus, Custos, pro officio sibi concredito, & pro charitate sua perfecta, nobis diligentissimè assistat. Dicamus itaque sæpius cum Ecclesia:

Angele Dei qui mihi in ministerium missus es, offer orationem meam coram Deo, in die tribulationis meæ, & in necessitatibus meis. ^{Resp. 9. in offic. Eccle.}

I

Tertio

Octobris

Tertio Nonas Octob.

Vide
cap. 52.
Apoth.
Spir. fol.
252.

Abulæ in Hispania S. Teresiæ Virginis, quæ supra sexum fortis mulier, virili facto, mitigatum Carmelitarum Ordinem, ad pristini rigoris Regulas instaurauit.

Non planè nouum, aut inusitatum est, viros etiam Religiosos, à femina reformari. Antiquissimum exemplum in sacra scriptura habemus, vbi sancta illa vidua Iudith, Clerum ciuitatis Bethulæ laudabiliter reprehendit, & reformauit, dicens presbyteris Chabri & Charmi: *Quod est hoc verbum, in quo consensit Ozias, vt tradat ciuitatem Afsyrijs, si intra quinque dies non venerit vobis adiutorium? Et qui estis vos qui tentatis Dominum?* S. Coleta virgo, Corbeæ in Picardia nata, Ordinem S. Claræ post annum 1400. ad veterem disciplinam reuocauit: quam reformationem Franciscani, Recollecti dicti, postmodum assumpserunt, S. Brigitta è regio Danorum & Suecorum sanguine oriunda, fundauit Ordinem S. Saluatoris, vulgò S. Brigittæ nominatur, tam pro viris, quam pro feminis; qui vno eodemque in Cænobio (antiquo more Ordinis nostri Præmonstratensis) diuersitamen in Claustris commorantur; quibus ipsa Abbatissa generaliter præest, viris iugo femineo se submittentibus, prout etiam in Ordine fontis Ebraldi consuetudinis est, in quo vniuersæ Congregationi Abbatissa præsidet, quæ in omnes tum viros, tum feminas, ius supremum obtinet, statuto, vt viri S. Ioannis Euangelistæ exemplo, virginibus seu mulieribus parerent: & hæ vicissim B. Virginis exemplum sequentes, Religiosos tamquam filios amplecterentur, secundum illud Christi: *Ecce filius tuus, Ecce mater tua.*

Ad mitigatum Carmelitarum Ordinem quod attinet, sciendum quòd eorum Regulam ab Alberto Patriarcha conscriptam, & ab Honorio III. eiusque successore Gregorio IX. confirmatâ, cum lapsu temporis, Religionis feruor paulatim tepesceret, Innocentius IV. nonnihil primò temperauerit, ac postea Eugenius IV. abstinentiæ à carnibus,

carnibus, ac ieiuniorum rationem, deque secessu ac mansione in cellulis assidua præceptū, anno 1431. edito diplomate mitigauerit; vnde tunc dicti fuerunt, *Carmelita mitigati*. At verò primæuum vitæ monasticæ rigorem B. Teresia, superiori sæculo reuocauit, monialium primò, post & virorum Carmelitarum discalceatorum familijs plurimis institutis. *Carmelus* verò, mons est in Syria, quarto lapide ab Acone seu Ptolemaide, vrbe ob triennem olim obsidionem nobili. In hoc monte Eliam & Elisæum prophetas, eorumque filios, id est, discipulos, olim egisse sacræ litteræ testantur; à quibus Carmelitæ, longa satis serie, genealogiam suam per Ioannem Baptistam, aliosque viros (qui in Actis Apostolorum, Religiosi vocantur, & in monte Carmelo, prope locum, qui vulgò, *Fons Elia* dicitur, primam omnium B. Virginii in orbe terrarum dedicantur Ecclesiam) ad hæc vsque tempora deducunt. Plurimis interim, tam antiquis quam nostericis scriptoribus, contrarium sentientibus, qui volunt post receptam bello sacro, à Godefrido duce Bullonio, & Antuerpiensium Marchione, Ierosolymam, certos quosdam viros religiosæ ac solitaria vitæ studio secessisse, exemplo Eliæ prophetæ, in montem Carmelum, & ibi vitam Eremiticam egisse, extructo in honorem S. Deiparæ Sacello, à quo dicti fuerint, Eremitæ B. Virginis in monte Carmelo: ac deinde post recuperatam à Saracenis Palæstinam, compulso fuisse migrare in Occidentem; itaque propagatos & dispersos per Italiam, Angliam, Galliam, Hispaniam, & vtramque Germaniam. Vt vt sit, *Veritas Vincit*, licet incognita. interim

VVal-
dens. de
sacram.
tit. 9 c. 84.

Scinditur historicus studia in contraria Cætus.

apud quem, quisquis curiosior es, plura vide, & ad Ecclesiasticæ historiæ amussim, diligenter examina. Ego, quod ad me, verè scribo & sentio: *fratres mei sunt, crescant in mille millia. quin immò,*

Si lubet ad primum deducant stemmata Patrem,

Omnibus AEuigenis qui fuit author Adam.

Obijt autem S. Teresia (quam alij scribunt Terefam, alij Therefam, quidam Tereffam; Pontifex verò Gregorius XV. in Canonizatione eiusdem, [Tereffam nominauit] anno 1582. 4. Octobris. at quoniam cum S. Francisco coincidit, idè celebratur 5. Octob. festum eius solenne.

7
Octob.

Nonis Octobris.

Vide cap.
11 Apot.
Spir. fol.
78.

Commemoratio S. Mariæ de Victoria, quam Pius V. Pontifex Maximus, ob insignem victoriam à Christianis bello nauali, eiusdem Dei Genitricis auxilio, hac ipsa die de Turcis reportatam, quotannis fieri instituit, & Gregorius XIII. prima huius mensis Dominica die, annuam solennitatem Rosarij eiusdem Beatissimæ Virginis celebrandam decreuit.

Sicuti Nonas Augusti (de quo supra) ita & hæc Octobris insigni miraculo sanctissima Deipara nobilitauit; ideoq; ex decreto Sedis Apostolicæ, vtræque sibi habet festiuas.

Est verò hæc Victoria illa cunctis sæculis memorabilis, de Turcis Christiani nominis infensissimis hostibus, ad Echinadas insulas seu sinum Corinthiacum, anno 1571. reportata; quando fidelium classis, Sanctiss. D. N. Pij V. P. P. ac Catholici Hispaniarum Regis Philippi Secundi, nec non inclytæ Venetorum Reipub. fœdere coacta, Ioanne Austriaco, Caroli V. Imp. filio ac postea Belgicarum Prouinciarum gubernatore, summo cum imperio Præfecto, de Selymo Turcarum Imp. gloriosè triumphauit, captis hostium triremibus centum & octoginta, ceteris omnibus dissipatis; fractosque nostrorum animos in eam spem erexit, posse inimicos nostros (modò in vnum Christianorum animi viresque conueniant) nullo negotio profigari atque deleri: præsertim si (vt tum in his actum est) præcipuam in Domino, & non in armis spem ponamus, peccatorumque sordibus expiatis, puræ ad Deum preces offerantur, ac Dei Genitricis Mariæ auxilium pijs votis sedulò imploreitur. Quod & nuper anno 1620. in æquè memorabili ac æternum celebrando Pragensi prælio factum fuit, quando Imperatorius exercitus, sanctissima Deipara pro eo de cælo pugnante, non minorem

de

de suis hostibus victoriam acquisiuit: cuius auxiliatricem dexteram (ne ad alienas Prouincias excurramus) etiam hoc Belgium quàm sapissimè est experta; institutis diuersis in locis, pro gratiarum actione, solennibus Supplicationibus.

Porro sicut à varijs locis, in quibus Sanctissimæ Deiparæ Imagines visuntur: ita à varijs beneficijs, quæ eadem humano generi præstitit, varia nomina sortita est; vti hîc imprimis, *S. Maria de Victoria*. Viluordix, *Diua Consolatrix*, *Onse Lieue Vrouvve ten Troost*. à leuamine & consolatione, quæ multi illic repperunt. *Silua-ducis* in templo *S. Ioannis*, *Dulcis Maria*, *De soete Lieue Vrouvve*, à benignitate fidelibus exhibita. *Bruxellis* in *Xenodochio S. Iacobi*, anno superiori inuenta, *Diua Auxiliatrix*, *Onse Lieue Vrouvve van bijstant*, *Nuestra Sennora de Socorro*, à multis & magnis auxilijs, quæ quotidie suis clientibus præstat, sic dicta. Neque enim pauciora in nostro Belgio, immò in nostra Brabantia, quàm in alijs Prouincijs sunt sacra & religiosa loca, Deiparæ cultu, miraculis, & hominum piè peregrinantium concursu illustra. Testantur id *Halla*, *Ceruia*, *Lakæ*, *Camberona*, *Viluordia*, *Losdunum*, *Omelia*, *Tungri*, *Tungerloa*, *Louanium*, *Blandinium*, *Collis-asper*, *Grauesanda*, *Haerlemium*, *Silua-ducis*, *Amor-fortis N. Dame de foy* *Bruxella*, *Villarium*, aliaque sine fine dicenda loca, de quibus plura apud nostrum *Dionys. Mudtzaerts*, & alios. *Vsus* verò *Rosarij* (sic enim orbiculi illi seu globuli, quorum inuentor fuisse dicitur *V. Petrus Eremita* belli sacri sub *Vrbano secundo* buccinator & militarium copiarum in *Syriam* ductor, filo inclusi vocantur) per vniuersam Ecclesiam est celeberrimus, sanctissimæque Deiparæ gratissimus: nam *Rosarium* vocatur, quod ex plurimis salutationibus Angelicis, tamquam ex suaueolentibus rosis componatur, quibus eam quasi coronamus. Cuius quanta sit utilitas & fructus, præsertim si cum attenta ruminacione mysteriorum vitæ Christi & Mariæ persoluatur, ita narrat *Ioannes Lanspergius Theodidactus*: Cum Prior quidam *Carthusiæ Treuirensis*, multis annis hoc exercitium quotidie coluisset, suffragante illi gloriâ Virgine, sapius per diem, præsertim ad horas septem Canonicas, in cælum re vera rapiebatur: vbi inter cetera clarissimè vidit, & audiuit cælestes ciues, *Iesum* & *Mariam* super huiusmodi articulis, ineffabili lætitiâ & deuotione benedicentes, & dulcissimis nominibus *Iesu* & *Maria*, reuerentiam modo supra dicto exhibentes, nec non pro omnibus in huiusmodi exercitio

In hist. a.
Ecl.
Belg.
Polyd.
Virg. l. 5.
de inu.
rerum c.
10.

l. 7. mir.
operum.
in præf.

citio sese ipsis cæli ciuibus conformantibus in terris, Deum obsecrantes. Ad hæc, pro singulis id genus fertis rosarijs, singulas coronas mirabili fulgore coruscantes, & immarcessibiles in cælestibus reponi. Plenam insuper peccatorum remissionem, singularem quoque gratiam, & benedictionem in præsentem, gloriamque in futura vita, pro qualibet corona rosacea, vel rosario, illis à Domino Iesu per preces beatissimæ Matris eius, diuina autoritate promitti & conferri. Denique maiorem Dei gratiam & salutis thesaurum in eodem latere exercitio, quàm quispiam mortalium possit comprehendere, primæ veritatis testimonio illustratus cognouit, nobisque hæc post obitum suum in scriptis reliquit. Hæc ille. Plura vide, simul etiam modum recitandi Rosarium, apud Iac. Aluar. de Pazl. 2. de vita religiosè instituenda c. 3. Vti autem sodalitas sacri Rosarij maxime viget in Ordine Dominicano, ita in Franciscano sodalitas sacre Chordæ, in honorem miraculose Chordæ S. Francisci instituta, & multis indulgentijs dotata: in Ordine Carmelitano sodalitas sacri Scapularis, quod à Beatissima Virgine è cælo accepit B. Simon Stockius, Ordinis sui Magister generalis. In ordine Eremitarum S. Augustini, sodalitas sacre Corrigiæ seu Cinguli. In Ordine denique nostro, sodalitas Immaculatæ Conceptionis D. Virginis, quibus alijsque sese mancipare, contra pestem salubre Pharmacum est, vt in Apotheca mea latius probaui.

Aluar. de
Pazl. 2.
c. 3.

Paleo-
nyd l. 3.
c. 7. &
Thomas
de Iesu.

Kalendis

Kalendis Nouembris.

Festiuitas omnium sanctorū, quā in honorē B. Dei Genitricis Mariæ & SS. Martyrū, Bonifacius Papa IV. dedicato tēplo Pantheon, celebrē & generalē instituit agi quotidie in vrbe Roma, sed & Greg. itē IV. postmodū decreuit eamdē festiuitatē, quæ varijs modis in diuersis Ecclesijs celebrabatur, in honore omniū sanctorū solēniter hac die, ab vniuersa Ecclesia perpetuò obseruari.

VNa rationum ob quas Ecclesia generale hoc festum institui curauit, ea solet adferri, quod cum ob innumeram sanctorum multitudinem, impossibile sit unicuique festum suum diem particulariter assignare (à tempore enim S. Hieronymi, eodem teste, plus quàm quinq; millia martyrum singulis diebus fuissent celebranda) & multi etiam tum martyres, tum Confessores ignorentur, visum idcirco fuit summis Pontificibus, vniuersale hoc festū instituire, vt in eo omnium omnino Commemoratio celebraretur. Eadē de causa, quoniam omnes sancti contra pestē Tutelares Martyrologio suis diebus non sunt adscripti, multiq; mihi nō occurrunt, aut non ita passim noti sunt; hac die omnium eorum Commemorationem pono: quorum suffragia hodie potissimū sunt expetenda, quæ tantò abundantius clientibus concedentur, quantò copiosior est Patronorum numerus; qui de sua salute sunt securi, sed de nostra tum animæ tum corporis solliciti: quorum vestigia sequētes, cum iisdem regnabimus in perpetuas æternitates.

Neque est hoc sæculum nostrū, licet charitas multorū abundante iniquitate, refrigescat, sanctorum sterile aut effcētū: quin immò videmus Matrem nostram Ecclesiam, multorum filiorum latantem, & copiosa prole fecundā. Testantur id Franciscus Paulanus, Thomas Villanouanus, Carolus Borromæus, Ludouicus Bertrandus, Paschalis Bailonius, Philippus Neri, Ignatius Loiola, Franciscus Xauerius, Teresia Abulensis à Iesu, Franciscus Borgia.

Vide
Chris
vander
sterre in
Na. al.
Ord.
noſt.

4
Nouemb
Vide cap.
29. Apot.
Spir. fol.
158.

Borgia, Aloysius Gonzaga, alijque quàm plurimi, qui tamquam nouæ stellæ cælo insertæ, radijs suis hoc æuum nostrum clarissimè illuminant, vt raceam illud Bohemiæ & Ordinis nostri Præmonstratenſis luminare magnum Ven. Ioannem Lohelium Archiepiscopum Pragenſem, qui nuper, anno videlicet 1622. 2. Nouemb. multis cæli fauoribus & Dei benedictionibus præuentus, pijsſimè in Domino obdormiuit, sanctitatis famam totam per Bohemiam post se ingentem relinquens; factusque est in pace locus eius, vt confidimus, & habitatio eius in *Sancta Syon*.

Quarto Nonas Nouemb.

Mediolani S. Caroli Borromæi, eiusdem ciuitatis Archiepiscopi, qui ministerium suum, varijs virtutibus, quibus mirificè resplenduit, honorificans, Apostolico spiritu id ipsum decorauit, charitatis viscera suis subditis ad extremum vsque spiritum multipliciter impartitus.

Extat impressum Ecclesiasticum Officium de hoc sancto Episcopo, in quo inter alia, sic legitur in hymno de eodem:

*Dum seuit annus pestifer,
Vt mater egris asstitit.*

Galat. 4. Quod quàm verè de eo canat Ecclesia, sufficienter ea probant, quæ de materno eius affectu suis subditis tunc exhibito, in Apotheca mea dixi, vt verè cum Apostolo ei dicere licuerit: *Filioli mei quos iterum parturio*. ita enim pro singulis fuit sollicitus, ac si singulos ex carnaliter genuisset. *Nūquid parturientes ceruas obseruasti, rogat prop hetæ Job. incuruantur ad fœtū & pariunt, & rugitus emittunt*. ita se tunc Carolus noster incuruauit ad omnium infirmitates subleuandas; & rugitus, id est gemitus & ploratus in amaritudine cordis sui pro eis emittit: tantò gloriosiori, quantò rariori exemplo.

de mort. 5. Quod enim ad omnes, de pestilentie tempore, scripsit S. Cyprianus, id in Pastoribus tunc magis locum habet, scilicet: *Quid illud fratres dilectissimi, quale est, quàm pertinens, quàm necessarium, quod pestis ista & lues, quæ horribilis & feralis videtur, explorat iustitiam singulorum, & mentes humani generis examinat?* an infir-
mis

mis seruiat sani, an propinqui cognatos piè diligat, an misereantur feruorū languentiū domini, an deprecantes egros nō deserant Pastores?

Vt mater agris assistit, ita vnumquemq; pastorū, vnumquemq; superiorum admonet S. Bernardus, vt se matres suis subditis exhibeant, vt charitatis vbera eis præbeant, non crudelitatis vulnera infligant. Sicut enim mater sordibus, eiulatu, lasciuia, malitia, milleque fastidijs paruuli sui non offenditur vt eius curam abijciat, sed hæc omnia materno affectu deuorat, dicitque, quod vulgò dicunt matres rogantibus, Quomodo hæc à puero tuo toleras? Mater sum, mater infanti suo irasci nequit; immò hisce eius ineptijs magis accenditur eius erga illum amor. Et si quis eam arguat, dicit: Nescis quid sit esse matrem. maternum cor quale & quantum sit ignoras. matris affectum quantum sit, nemo scit nisi expertus, nisi quæ fuit aut est mater. Ita hic Sanctus Episcopus, licet sapius à suis subditis, varijs grauissimisque affectus esset molestijs & iniurijs, omnium tamen illarum immemor, talia illis pestilentia tempore impendit obsequia, qualia ne ardentissimi quidem affectus matres tenerrimis suis filijs auderent tunc impendere. Sed de eo plura, vbi Deo & superioribus placuerit, in Diario Ecclesiastico de SS. Jurconsultis, inter quos non minimus & hic fuit.

Ad Eug.
de conu.

Præter sacras eius exuuias, quæ in Collegiata D. Petri Ecclesia Louanij asseruantur, etiam in Monasterio Minimorum Anderlaci prope Bruxellam, ornamenta nonnulla sacerdotalia, quibus in sacris celebrandis vsus est à Frederico Borromæo, successore eius & nepote, transmissa visuntur.

Septimo Idus Nouemb.

In Frisia depositio S. Villibrordi Episcopi Traiectensis, qui à B. Sergio Papa ordinatus Episcopus, in Frisia & Dania Euangelium prædicauit.

7.
Nouem.
Vide cap.
45. Apot.
Spir. fol.
228.

ITa Martyrologium Romanum: vbi Baronius statim subiicit: Barbarum ac pronuntiatu asperum nomen Sergius Papa, cum illum Romæ in Ecclesia S. Cæcilie ordinaret Episcopum, mutauit in Clementem; tamen priori nomine potius appellatus reperitur. Alibi vocatur, Clementius, vt in altari Ecclesie *Diesensis*, Tungerloæ quoad curam Pastoralem subiectæ, legitur;

K

legitur; ubi etiam frequenti diuersarum nationum concursu visitatur, ac contra pestem solet hodieque inuocari, sicut & in *Alphen* & in *Poppel*, Ecclesijs nostris parochialibus, quos tres pagos S. Willebroddus testamēto suo, legauit olim Cœnobio Epternacensi, vocanturq; ibidem, villa *Pieplo*, id est, *Poppel* hodie, villa *Alheim*, hodie *Alphen*, & villa *Diosna*, hodie *Diesen*, super fluuio *Digena*. Verum de nomine eius, quod non malè, *VVillighrod*, id est, panis voluntarius, scripseris, hocce versus aliquando lusi.

Barbarus hic ego sum, quia non intelligor vili:

Et quia diuiso ab Orbe, Britannus adest.

Barbarus at non sum; sed promptus panis IESV,

Vt molar, atque eius immoler obsequio.

Sed Parca vt parcunt, vt luci lumine lucent,

Vt bellum, bellum est, sic Wilibroddus ego.

Sciendum etiam est, eum barbarum fuisse dictum à Græcis, per onomatopœiam, qui aliam linguam quàm Græcam sonaret. deinde à Romanis, qui aliam quàm Græcam, vel Romanam, postea; qui aliam quamuis à patria lingua diuersam loqueretur, eò quòd à suis non intelligeretur. Vnde Anacharsis Scythæ cum ab Atheniensibus rideretur quasi Barbarus, aprè respondit: *Scythæ Barbari sunt apud Athenienses, & equè hi Barbari sunt apud Scythas.* prout Galli apud Flandros, & Flandri apud Gallos.

Fuit autem hic Magnus Apostolus Belgarum, de natione Anglofaxonum, quam Caudatam olim dixerunt, vnde etiamnum hodie prouerbiū de tota illa gente, apud omnes gentes, nostrosque Belgas perseverat: *Een Engelsmans, een steertman.* & nuper Rembertus Cornustibius poëta Laureatus:

Quod si Britannos computas

Et numerosam classē;

Caudata hæc est natio,

Non valet vnum assē.

Fz. c. 9 de
gest. Ang.
& Scot.

Sed vitiosum argumentum est quod à parte procedit ad totum, & punitionem quæ cælitus descendit in paucos, deriuat in omnes. In paucos dico; scribit enim Ioannes Maior Anglorum vicinus, quod cum S. Augustinus à Gregorio Magno in Angliam missus, per Rocestriam transiret, ibique Euangelium Christi prædicaret, contra virum Dei, piscium caudas vulgus proiecerit eum irridendo & calumniando. Quare numè supplex, inquit, Augustinus implorat, quatenus

angel

tenus illius loci paruuli, caudati in pœnam peccati nascerentur, sicq; moniti discerent non temnere Diuos. & propterea, vt Anglorũ Annales recitant, paruuli caudati nascebantur. Ab influenza igitur cœli, has caudas minimè habent. Nec in hac tempestate, homines caudatos illic nasci arbitror; sed ad tempus, vt fidem Doctorigens incredula daret, hæc pœna inflicta est. Scotis & Gallis oppositum asserentibus, haut assentior. ita Maior natione Scotus, & professione Theologus, commentarijs in Libros sententiarum, & Marthæum, satis notus. Neque id cuiquam poradoxum, aut incredibile videri debet. De sancto namque Emeberto Cameracensi Episcopo (qui in agro nostro Brabantino, parentibus Witgero Comite & Amelberga Tempfecæ seu Tamisæ ad Scaldim Domina, editus fuit) ita scriptum reperimus: Hic Sororis suæ Gudilæ (Bruxellensium patrona est) sepultæ iam triduo tumulum à latrone pestifero violatum audiens, ingemuit, latronemque anathematis vinculo innodauit, immò etiam exerta imprecatione, vt signis fatentibus, saltem posteros non lateret, obtinuit, hoc modo; vt si vir esset, claudus vel quolibet modo debilis fieret; si femina, vitio, quod vulgò dicimus, gutturiatm, semper non careret. Et hoc mirabile dictu: namque omnem ipsam progeniem hæc ita postea habere, liber ipse fatetur.

Tamise.
Templicæ

Obijt, &
sepultus
fuit in
Hâ, prope
Viluord.

Martyrologium Romanum, vt supra in textu vidimus, refert S. Willibrordum prædicasse Euangelium Christi in Dania. Verum qui res eius gestas accuratius conscripserunt, Danici Apostolatus non meminerunt, quod sciam: sed eius quem magno cum fructu in Frisia, Zelandia, Hollandia, Brabantia, Flandria, atq; Occidentali Francia exercuit. Cuius sanctissimi Apostoli sui doctrinam, verè Christianam, tot illustribus prodigijs ac miraculis confirmatam, vtinam Batauicæ istæ Prouinciæ, quas in Christo genuit, æmularentur ac profiterentur, nec impijs Lutheri, Caluini, Memnonis, aliorumq; id genus monstrorum placitis, nullo vnquam testimonio diuinitus accepto probatis, adhererent, factæ nobiscum vnus ouilis, sub vno Pastore, oues in Christo! Dania verò demum anno 826. per Ebbonem Archiepiscopum Rhemens. & Ansgarium Corbeizæ monachum, conuersa fuit,

Bar. ann.
826.

K 2

Quinto-

Quintodecimo Kalend. Decemb.

177
Nouent.
Videcap.
24. Apot.
Spir fol.
139.

Neocæsareæ in Ponto natalis S. Gregorij Episcopi,
qui doctrina & sanctitate illustris, propter signa
& miracula, quæ cum multa Ecclesiarum glo-
ria perpetravit, Thaumaturgus est appellatus.

Euseb. 6.
hist. c. 23.

Varia nomina & cognomina hic Sanctus Episcopus sortitus
est, atque hæc potissimum ob præclaras suas virtutes. Euse-
bius dicit eum appellatum fuisse, Theodorum, atque inte-
gro quinquennio, cum fratre suo, postea Martyre, Atheno-
doro, Origenis disciplinam hausisse: atque ambos, pæne adhuc ado-
lescentes, Episcopos in Ponto fuisse ordinatos; gentium parentum,
Christianos & Orthodoxos filios. Postea dictus est Gregorius, & ob
ingentia præclaraque facinora, à Basilio aliisque appellatus, præno-
mine, *Magnus* & ab vniuersa deinde Ecclesia. agnomine, *Thaumatur-
gus* Immo præfatus Basilius, scribit tantam fuisse miraculorum eius
præstantiam, vt ab ipsis etiam veritatis hostibus, alter *Moyse*s appella-
retur.

Quod ad nomen, *Gregorij*; magno & multo illud grauidum my-
sterio est, nec non nisi diuina prouidentia, summis Pontificibus, aliis-
que Episcopis inditum. Si enim Ecclesiasticas Tabulas inspicere, &
reuoluere libuerit, inuenies plerosque eo insignitos, maxima & præ-
clarissima pro Dei Ecclesia fecisse; idæoque excepto nomine, *Ioannu*s,
in catalogo summorum Pontificum, nullum nomen frequentius ab
eis vsurpatū reperies, quàm *Gregorianum*, quod aptissimum tali mu-
neri comprobatur. *Gregorius* quippe, idem est quod *Vigilantius*, *πρηλο-
γέω* græcè, latinè, *Vigilo*, quod omnibus animarum curam habentibus
inprimis conuenit, immò necessarium est, secundum illud Apostoli,
ad suum Timotheum, aureum commonitorium: *Tu verò vigila, in
omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple, &c.* id est, sis
Argus centum oculis, & vnum de animalibus Apocalypseos, oculos
habens ante & retro: estu vrere & gelu, vt lupos à grege tuo arceas,
sicut fecit Jacob Patriarcha, & ouium prius custos cognati sui La-
ban: sicut fecit Eusebius Episcopus Samosatenus, de quo refert Mar-
tyrolo-

2. Timot.
c. 2.

tyrologium Romanum, quod tempore Constantij Imperatoris, 21. Iunij. Ariani sub habitu militari incognitus, Ecclesias Dei visitauerit, vt in fide Catholica eas confirmaret; mercedem visitationis postea recipiens, insignis martyrij lauream: dum tegula ab Ariana muliere desuper immissa, contracto capite Martyr occubuit. *Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel.* Vnde rectè Persarum regem olim summo mane excitabat eius cubicularius dicens: *Surge rex, atque ea cura, quæ te curare voluit Mesoromasdes, tuus Deus.* & Homerus:

Psal. 121.

Plutarch.

lib. de

doct. Præ.

Non decet tota nocte dormire virum consiliarium,

Cui populi commissi sunt, & tanta curanda sunt.

Si ergo vita mortalium vigilia est, multò magis vita Principum & Prælatorum Ecclesiæ, vigilia sit oportet. Ita secundum nomen suum, ministerium quoque suum honorificauerunt, Gregorius hic Thaumaturgus, Neocæsariensis Episcopus. Gregorius cognomento Theologus, patria, at nunquam Episcopatu, Nazianzenus, sed Sasimorum & Constantinopolis Episcopus. Gregorius cognomento Magnus, & primus eius nominis Rom. Eccles. Pontifex. Gregorius II. Ecclesiasticæ immunitatis indefessus vindex. Gregorius III. sacrarum imaginum aduersus Leonem Leonoclastam strenuus defensor. Gregorius IV. festiuitatis omnium sanctorum institutor. Gregorius VII. Henrico-mastix, & Ecclesiasticæ libertatis propugnator ac defensor acerrimus, vt loquitur Rom. Mart. qui qualis quantusque fuerit, qui zelus ipsius, quæ animi constantia; pastoralis vigilantia, vigor & disciplina, ac denique ceteræ virtutes tanto culmine dignæ in eo Pontifice enituerint, registrum ipsius epistolarum, facile indicat. Gregorius X. ob præclaras & raras suas virtutes, ex Archidiacono Leodiensi, absens & extra numerum Cardinalium, creatus Pontifex. Denique (vt Nyssenum, Iliberitanum, Agrigentinum, Traiectensem, Armenium, Decapolitam, Lingonientem, Antisiodorenses, & cuius hac ipsa die 17. Nouemb. agitur festiuitas, Turonensem omniam) Gregorius XIII. qui pro grege sibi commisso in tantum vigilauit, vt Card. Baron. tom. II. anno Christi 172. narret ei erectam à Romanis statuam in Capitolio cum hac inscriptione:

*Sesterium octingentis singulari beneficentia
in egenos distributum.*

Id est, vicies centena aureorum millia.

Eodem die.

17.
 Nouem.
 Vide cap.
 28. Apot.
 spirit. fol.
 154.

In Laura sanctæ Sion, B. Zachæi Abbatis, qui suis precibus Cæsaream à peste liberauit, magni meriti & virtutis apud Deum.

Hoc die Zachæum pono, quo in Martyrologio Rom. inuenio alium eius nominis sub Diocletiano martyrem, positum, quia prioris diem obitus, hæcenus non reperio.

Laura, dicebatur Monasterium non quodlibet, sed quod pro magna hominum multitudine erat institutum, qui deuotionis ergo, instar multarum aquarum confluebant.

Λαύρα enim Græcis est vicus publicus. Estque frequentissima in vitis P. P. mentio Lauræ S. Sabæ Abbatis: in quibus Lauris ordinariè ducenti, trecenti, quadringenti, quandoque etiam mille monachi, immò & multa millia, diuersis in Cellis dispersi & separati cõmorabantur. Vnde & *Cellia*, pro monasterio ponitur, eosque qui Cellas incolunt, *Cellitas* vocat Thomas Kempensis, mirus Cellæ predicator & amator; qui inter fratres suos conuersans, quotiescumque sentiebat cælestis sponsi inspirationem, ad Cellam secedebat dicens: Charissimi Fratres oportet me secedere; est enim qui in Cella me expectat. Caue tamen vt per hos Cellitas, eos intelligas qui hodie apud nos vocantur, *Cellbroeders*, infirmorum, etiam peste infectorum voluntarij ministri, vulgò *Alexiani* dicti, quod S. Alexium patronum habeant: quos nescio quis antiphraстикè *Cellbroeders* seu *Cellitas* dictos interpretatur, quòd minimè in Cellis morentur, cum ordinariè operibus vitæ actiue & misericordiæ corporalis apud infirmos incumbant. Ceterùm de Cella monastica hoc verè dixerim:

Quod sua nos celet, calum dixere priores.

Quod celet mundum, Cella vocata fuit.

Mandra etiam pro Cella monastica olim posita inuenitur, atque hinc Archimandrita; quo nomine ille intelligitur, qui eis qui in Mandris morabantur, præerat. Qui titulus tamen non propriè, & non nisi per catechesim, passim hodie omnibus Abbatibus tribuitur, etiam ijs qui Canonicis Ordinibus præfunt. *Mandra* siquidem, speluncam, cubile

bile seu habitaculum pecorum primariò significat; atque inde deinceps translatum hoc nomen ad habitacula antiquorù Monachorum, qui per Eremum dispersi, solitariè in huiusmodi spelæis & antris habitabant, & mundo incogniti delitescébāt, quibus qui superintendebat, Archimandrita vocabatur: quia tamquam pastor alijs veluti ouibus in speluncis latentibus inuigilabat

In vita S. Antonij aliorumque antiquorum Patrum sæpè legitur, *Archisterium*; vbi Glossarium Camberonense ponit, Monasterium. Est verò *Archisterium* sic dictum, quasi principalis statio. archos namque princeps; sterion autem statio est & aptissimè monasteria, stationes vocantur, in quibus monachi seu stationarij milites, pro sua proximorumque salute, nocte ac die excubant.

Asceterium autem passim apud Græcos pro Monasterio ponitur; nam monachi apud ipsos dicebantur, *ἀσκηταί*, id est *Exercitatores*, quia eorum munuserat, se in virtutis palestra exercere. hinc *Ascetica Basilij*, quæ ad instructionem Monachorum pertinent.

In vita S. Euphraxie, vocantur monasteria, *Sanctuaria*, quod in ijs agent monachi vitã caelestẽ, semoti à rebus terrenis, & celo inhiantes. Cap. 1. & 5.

Porro habet & Ordo noster Præmonstratensis suam *Lauram Sanctam Syon*, regale scilicet in regia Bohemorum vrbis, *Praga*, Cænobium, vulgò *Strahouen*, non procul ab aula Imperatoria, in deflexu montis Petrini, à Vladislao Bohemorum rege ædificatum; & propter similitudinem situs cum monte illo qui in Oriente, *Syon* appellatur, ad quem propè accedit, *Mons Syon*, dictum est; multorum Episcoporum olim Seminarium; ex quo etiam superioribus annis *Rudolphus II. Imp. Austriacus*, piæ memorię *Ioannem Lohelium* ad Archiepiscopatum Pragensẽ ob præclaras animi dotes euexit: quam spartam multis annis pulchrè exornauit, seu Princeps Imperij, Legatus natus, Consiliarius Cæsareæ Maiestatis, Crucigerorum cum Rubea Stella Magister Generalis. qui & hunc modernum Imperatorem *Ferdinandum II.* in regem Bohemiæ vnxit, veluti alter Sadoe regem Salomonem. Atque vt ad hoc Cænobium Montis Syon, corpus sanctissimi P. Norberti posset transferri, superioribus annis prædictus *Rudolphus*, cum illud iam Hussitica priùs rabie deuastatum, instaurasset, misso ad Magdeburgenses (apud quos requiescit) Legato Cæsareo, multum laborauit: at impetrare non potuit; Lutheranis excipientibus, sic Catholicis dandam fore occasionem idololatriæ; Politicis, non esse ciuitatem tam eximio monumento spoliandam; pulchrum siqui-

Vide
Chryf.
vander.
sterr. l. 3.
c. 12 vitæ
S. Norb.

Act. 1.

Tert. de
coron.
milit.

ad Tit. 2.

1. paralip.
c. 20.

Matth. 9.

Luc. 19.

liquidem esse, posse ostendere sepulcrum tam excellentis personæ: Catholicis verò contradicentibus, quòd hoc pacto priuarentur suo patrono Tutelari, cuius opem sæpè in necessitatibus fuerant experti. Hæc occasione Lauræ S. Sion, dicta sunt; & simul notato, eas statuas seu imagines, quas Imperatores in prouincias, ad quas ipsi alioqui non proficiscebantur, & solenni ac propè religioso more à populis excipiebantur; aliquando Lauras, licet communiter Laurata, à lauro circumiecta, dictas fuisse. Vnde in actis II. Synodi Nicenæ: Laurata & iconas, quæ mittuntur ad ciuitates, obuij adeunt populi cum cereis & incensis; non cera perfusam tabulam, sed Imperatorem honorantes.

Constantinus quidem Magnus iam Christi Sacramentis initiatus, utpote religiosissimus Christianus, laureas seu lauras, id est, lauri folia, in gemmas aurumque, diu ante hanc Synodum mutauerat, indecens ratus ex arbore Apollini sacra (cuius pleraque templa demoliri iusserat) victricia insignia sumere, qui cunctas Christo victorias ferret acceptas: verum posteriores Imperatores, scientes eiusmodi de abijciendis Gentilitijs laureis, ex scrupulositate Tertulliani, Montano iam addicti manasse, interdum laureis in numismatibus & statuis suis apparent, coronati: scientes eam scrupulositatem absque veræ pietatis offensa, à Christianis militibus fuisse iure contemptam, secundum illud: *Omnia munda mundis*. cum nec desit exemplum de sancto Dauid, ex S. Scriptura desumptum, qui regium ornare caput consuevit corona illa ex gemmis & auro, quam abstulerat è vertice Melchom.

Septima verò Synodus (quoniam hic de Zachæo egimus) sub finem sextæ actionis his verbis loquitur: Sancta & Dei Catholica Ecclesia, ad pœnitentiam & cognitionem obseruationis mandatorum Dei, omnes nostros sensus trahit, & ad gloriam Dei agnoscendâ studet nos deducere, non modo per auditum, sed & per visum, morum correctionem moliri cupiens. Quare cû ex auaritia & habendi studio aliquis rapitur, Matthæum ex telone Apostolum, illi indicat, qui relictâ auaritiæ insania Christum secutus est. Eodem modo Zachæum ascendentem in Sycomorum arborem, & Christum desiderantem videre, & comparantem sese ut dimidietatem bonorum suorum det pauperibus, & si quem defraudarit, ut reddat illi quadruplum. Ita imaginum pictarum iugis contemplatio, continuo memoriam exercet, ne iterum recurratur ad proprium vomitum.

Quarto

Quarto decimo Kalend. Decemb.

18
Nouemb.

Antiochiæ sancti Thomæ monachi, quem Antio-
cheni, ob pestem eius precibus sedatam, solen-
nitate annua coluerunt.

Vide cap.
43. Apok
spirit. fol.
229.

Vbi estis sacrorum festorum in gratiarum actionem institu-
torum impij calumniatores? Nouitia ergo sunt quæ hodie
per totum orbem Christianum, pro huiusmodi beneficijs,
à fidelium turbis celebrantur, cum iam ante mille annos,
religiosè admodum fuerint frequentata?

Immo nonne in ipsa sacra scriptura, ad quam semper confugitis,
& extra quam nihil vobis purum putum est, exempla habetis pluri-
ma? Holofernem cepit laqueo oculorum suorum, & percussit eum
labijs charitatis suæ, caput abscidit, & Bethuliam ab hoste liberauit,
fortissima vidua Iudith. Et ecce *dies victoria huius festiuitatis, ab Hebræis*
in numero sanctorum dierum accipitur, & colitur a Iudæis ex illo tempore vs-
que in presentem diem, vt inquit scriptura. A præparata & iam ceruici-
bus imminente nece, Regina Esther, Iudæos suos liberauerat: & in
gratiarum actionem, hanc diem cum anniuersario gaudio solenni-
ter celebrandam, publico decreto sanciuerunt. Et quid ni idem faciant
Catholici in gratuitam memoriam beneficiorum, quæ à sanctis
Dei amicis acceperunt. Abi calumnia, & obmutesce, aut rumpere.

Iudith 9.

Iudith. 16

Esther 9.

Daphne verò, in qua hic sanctus Confessor mortuus & sepultus
primò fuit, lucus erat in suburbio Antiocheno positus, cultu Apol-
linis celeberrimus: quem vt superstitione Gentilium, & intemperan-
tium hominum contumelia purgaret Constantinus Magnus, tran-
stulit eò reliquias Babylæ Martyris olim Episcopi Antiocheni, in de-
lubri loco Ecclesiam ædificans. Ex quo tempore dæmonium illud,
nullum oraculum reddidit, quod Martyr, cuius corpus in proximo
erat repositum, impedimento esset quo minus istud, vt solebat præ-
staret. Haut aliter atque olim in conspectu Arcæ fæderis, idolum
Dagon in terram proruebat. Ioannes Moschus in Prato Spirituali
c. 88. scribit quòd cum corpus S. Thomæ ex Daphne translatū esset
Antiochiam, & ibidem sepultum; breue Oratorium super illud fu-

L

erit

erit extructum. Vbi nota antiquam Ecclesiæ consuetudinem; solebant enim fideles super sanctorum, maximè verò Martyrum corpora, altare seu Oratorium construere, vt tam sacro loco honorarent Martyres, ipsorumque corpora essent orantibus excitamentum deuotionis & virtutis; atque per eosdem eorum preces ad Deum offerrentur: Dicebaturque illud altare seu oratorium, Memoria, sepulchri ū, Martyrium siue Confessio eius, qui ibidem erat sepultus. Atque hinc intelligimus quod toties in vitis sanctorum legimus: Hic Sanctus sepultus est in Confessione S. Laurentij, S. Susannæ &c. nam, in Confessione, idem est quod in sepulchro seu crypta. Neque enim totum templum vocabatur Confessio, sed Martyrium, ita in Concil. Calchedon. Ecclesia S. Euphemix, vocatur Martyrium. In cryptis namque sepeliebantur Martyres, (atque inde Romæ tot passim in templis conspiciuntur cryptæ seu sacella subterranea) supra quas deinde edificabant altare & templum: prout Antiochiæ supra corpus S. Thomæ in cœmeterio sepultum, Oratorium ædificatum fuit, id est Cappella. Veteres siquidem ea loca quæ nos Cappellas dicimus, Oratoria dicere consueuerunt: antiquiores verò constat ea appellasse Cubicula, secundum ea quæ Saluator noster dicit: *Intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum.* Sicque intelligas quod habet liber de Rom. Pontif. in Marcellino: Hic sepultus est in cœmeterio Priscillæ in Cubiculo claro. Eodemque sensu à Cubiculo, dicti sunt Cubicularij, quos nos Cappellanos hodie vocamus. Plura vide apud Baron. in notis ad Martyrol. diuersis locis.

Math. 6.

de pi&.c.
73.Homil 26
n Euang.

Occasione autem huius Thomæ, scito Lector, Joannem Molanum reprehendere eos, qui vbi aliquem notare volunt tarditatis in credendo, irreuerenter & contempribiliter, inquit, dicere solent, Tu es de progenie S. Thomæ. cum in omni honore habendi sint Apostoli, tamquam patres, columnæ & fundamenta orbis terrarum; & dum præcipuos Apostolos eecidisse legimus, cogitandum est Dominum id permisisse ad nostram instructionem. Vnde Gregorius: Plus nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quàm fides credentium discipulorum profuit: quia dum ille palpando ad fidem reducitur, nostra mens omni dubitatione postposita, in fide solidatur.

Vndecimo

Vndecimo Kalend. Decemb.

21
Nouemb.Hierosolymis Præsentatio Beatæ Dei Genitricis
Virginis Mariæ in templo.Vide cap.
11 Apot.
Spit. fol.
78.

Recentioris instituti & appellationis est hæc festiuitas. In Gallias primùm transijt anno Domini 1375. temporibus Caroli quinti Francorum Regis: & vt antiqua Ritualia, ac vetusta Ecclesiarum monumenta significant, Præsentationis solennitas ea olim est appellata, qua Dei Genitrix Sancto Simeoni, Verbum infans, Deum hominem, Christum Iesum, in templo obtulit; quæ hodie Purificatio Mariana dicitur; & id ipsum Oratio Missæ eius diei, planè indicat. Verùm hac die, ea festiuitas celebratur, qua Beata Dei Genitrix, puella trimula siue triennis, in templo Domini, Domino est præsentata. Erant enim in circuitu templi variaz series cellarum, in quibus feminæ Deo deuotæ habitabant, vt patet ex pluribus scripturæ locis. Josaba filia Regis Ioram, clam subtraxit è gladio Athaliæ in necem filiorum Ochoziæ debacchantis, Ioas filium dicti Regis, quem vnâ cum nutrice in templum adductum, ibidem per sex annos enutriuit. Insuper habetur in Exodo à Moysè factum labrum æneum cum basi sua de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi: quas, illius loci interpretes, dicunt fuisse mulieres, quæ seculi pompæ atque delitijs renuntiantes, sese vnâ cum suis rebus, his præsertim quæ essent peccatorum illecebræ, ministerijs Domini mancipantes, assiduis intentione precibus excubarent ad ostium tabernaculi; quod quidem pietatis officium, extructo postmodum templo, non tantum non cessasse, sed magnificè auctum fuisse, par est credere; ex quarum numero fuisse Annam prophetissam, filiam Phanuel, quam Cyrilus vocat religiosissimam Monialem, plerique existimant. Erat namque hic quasi cœtus religiosus deuotarum feminarum illius temporis, qui quasi typus fuit & umbra nostrarum Religiosarum, quæ meritò ab hisce originem & antiquitatem suam

Ioseph. l.
8. antiq.
c. 2.
4 Reg. 11.

Exod. 38.

Cyril. cat.
10.

suam arcessere possunt. Similes illis, quas hodie Canonissas, in Belgio vocamus. Sic enim erant Deo oblatae, vt solutis per singulos annos siclis, redimi, & ad saeculum redire, ac matrimonio coniungi possent, vt in Beatissima Virgine Maria factum constat.

Et sanè piissima consuetudo bonorum parentum est, qua filios suos & filias à teneris annis & ab incunte aetate Deo consecrant, aut in monasterijs & Religiosis domibus educandos procurant. Ita S. Placidus quinquennis traditus fuit S. Benedicto efformandus: qui à puero vitæ monasticae ita se assuefecit, vt factus sit insignis Religiosus & Martyr. Et de S. Benedicto tradit historia, quod pueros passim ad suum Ordinem receperit, vt à teneris assuescerent austeritati & disciplinae monasticae, exemplo Christi, qui mox à praesepio cepit duram & pauperem vitam agere, ac se parare ad crucem & martyrium, vt ipse de seipso ait: *Pauper sum ego. & in laboribus à iuuentute mea* Ita Samson & Samuel à puero abstinerunt vino & ficera, atque consecrati sunt Nazaræi. Ita S. Ioannes Baptista, vix bimulus iuit in eremum, vestitus cilicio, locustis victitans, itaque meruit fieri Christi paranymphus & Martyr. Ita S. Nicolaus à puero ieiunabat feria. iij. & vj. Ita S. Paulus I. Eremita, S. Antonius, S. Hilarion an. 15. aetatis, relictis omnibus, eremum & vitam austeram inierunt. Ita olim tenelli pueri & Virgunculae à parentibus educabantur ad tormenta & Martyria: vti S. Felicitas septem filios educavit & perduxit ad Martyrium. Atque ita fecit heroina illa, quæ sub Dunaan tyranno, duas filiolas suas piè educando, consecrauit & virginitati & Martyrio. Atque sub eodem tyranno gloriosa illa matrona, quæ filium suum à lacte educavit ad Martyrium. Cùm enim Dunaan in Nagran Arabiae ciuitate Christianos persequeretur, matrona hæc se & filiolam suam quinquennem Martyrum sanguine perungebat: quare à tyranno damnata fuit & rapta ad ignem; quod vt puerulus vidit, tyrannum in femore, eluctando momordit, & cursu contendit ad matrem, atque insiliit in fornacem, matremque amplexus, factus est cum ipsa heres Martyrij. Quid mirum ergo si S. Edmundi Archiepiscopi Cantuariensis mater, cùm eum puerum Parisios ad studia mitteret, duos ei cilicia dederit, iusseritque vt bis vel ter in hebdomade, illa gestaret, ac deinde sæpius alia & alia submiserit. Vnde ipse matris secutus consilia, cilicij loricam addidit, ijsque mirè corpus afflixit. *Bonum est viro, cùm portauerit iugum Domini ab adolescentia sua. nam Prouerbiū est: Adolescens iuxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea.*

Difficultes

Procop.
& Baron.
anno 522.

Thren. 3.

Prouerb.
22.

Difficiliter eraditur, inquit Hieron. quod rudes animi perbibere-
runt. Lanarum conchylia quis in pristinum candorem reuocet? re-
cens testa, diu & saporem retinet & odorem, quo primum imbuta
est. Consentaneum itaque est, ait Plato, primam de ipsis iuuenibus
curam suscipere, vt quam optimi euadant: sicut decet agricolam
nouellarum plantarum primam curam gerere. Quam rem Joannes
Gerson, Cancellarius licet Parisiensis, tanti estimauit, vt eo munere,
quasi honorifico vereque Christiano perfunctus sit, ipseque pueros
erudire, eorumque confessiones assidue audire voluerit, vt etiam
num faciunt viri Religiosi & insignes; quin & Doctores, magno
Ecclesie bono & fructu.

Hieron.
epist. 7.Plato in
dialog.

Sed dicunt, ait in quodam tractatu de pueris ad Christum trahen-
dis: Occupationem meam tamquam Cancellarij, in maioribus esse
debere. Nescio prorsus si quidquam maius esse potest, quam ani-
mas ab ipsis inferni portis eripere, & tales paruulorum animas quasi
plantare aut rigare, partem non indignam horti Ecclesiastici.

Sed asserunt me in praedicationibus publicis ista magnificentius
operaturum. Id quidem fortè pomposius, sed meo iudicio non effi-
cacijs, neque fructuosius. nam

Quo semel est imbuta recens seruaabit odorem

Testa diu.

Venite ergo ad me parvuli: ego vobis doctrinam, vos mihi oratio-
nem impendetis. Sic Angelos nostros vicissim latificabimus. Hæc
fusius, pro occasione trimulae nostrae Virginis in templo praesenta-
tae; quam historiam nonnulli conantur exprimere, ex libello de or-
tu B. Mariae apud Hieron. quod triennis absque ductu ascenderit
per quindecim gradus templi. Verum quae dicuntur de quindecim
gradibus templi plane incerta sunt, vt inquit vigilantissimus sacra-
rum litterarum interpres (sic eum vocat Baron. tom. 1. anno 1.) ex
lectore Cœnobij nostri, & Doctore Louaniensi, Episcopus Ganda-
uensis, Cornelius Iansenius. Neque enim vel ex scriptura, vel ex Jo-
sepho constare potest, quot fuerint gradus templi à Salomone pri-
mo extructi. Ezechiel quidem in suo templo meminit quindecim
graduum, in quorum septem ascendebatur ad atrium mulierum; re-
liquis octo ab atrio mulierum ad atrium virorum: Josephus tamen
in secundo templo testatur fuisse quatuordecim à porticibus ad
atrium mulierum, & ab eo vsque ad atrium alterum, quindecim:
ab hoc rursum duodecim gradibus in templum ascendi solitum. ita

Cornel.
Iansen.
in psal.
119.

August.
tract. in
Pfal.

Jansenius. Augustinus tamen, Lyranus & alij recentiores, aliter sentiunt: Tot sunt, inquit August. Psalmi qui appellantur graduum, quoniam tot fuerunt etiam templi gradus: in quorum ascensione solebant decantari, quotiescumque populus Hebræorum sese ab hostibus in libertatem vindicabat, aut singulare aliquod beneficium à Deo acceperat.

Quòd verò trimula fuerit præsentata, communis & quasi certa est antiquorum, maximè Græcorum Patrum traditio.

25
Nouemb.

Sexto Kalend. Decemb.

Vide cap.
26. Apot.
Spir. fol.
145.

In Armenia natalis S. Niconis monachi, ex cuius ossibus salutiferum vnguentum manare consuevit, quod sanctificationi, malisque & morbis omnibus depellendis proficuum erat.

Judic. 15.

Deus Opt. Maxim. cum multis modis sanctorum suorum cineres illustrarit, eo etiam honore dignatus est, ut ex aridis ossibus (ut olim ex asini maxilla qua Samson Philistæos deleuit, aquæ fontem manare fecit) liquorem medicamenti vim habentem ad curandas malas valetudines, & impios hagiomachos conuincendos, iugiter fluere voluit. idque non tantum huius S. Niconis reliquis, sed & plurium aliorum sanctorum sacris ossibus præstitit. Ita de S. Nicolao Miræ Episcopo canit Ecclesia:

*Ex eius tumba marmorea sacrum resudat oleum,
quo liniti sanantur cæci, surdis auditus redditur,
& debilis quisque, sospes regreditur.*

& in Breuiario Toletano:

*Cuius tumba fert oleum,
Matres oliuæ nesciunt;
Quod natura non protulit,
Marmor sudando parturit.*

Euag. l. 2. Refert Euagrius, & Nicephorus, è corpore S. Euphemie profluxisse
c. 2. copiosum humorem rubeum instar sanguinis, aded ut eo non so-
Niceph. l. lum Imperator & Episcopus, sed & totus populus, qui ibi congre-
15. c. 3. gari solebat, perficeretur. neque guttas illas vlllo tempore defecisse,
neque

neque factum illum sanguinem aliqua ex parte mutatum esse, sed suum colorem rubeum iugiter tenuisse.

Idem Nicephorus l. 18. c. 32. narrat ex corpore S. Glyceriæ Martyris, similem liquorem manasse, qui pelui subiecta excipiebatur, eumque Episcopus inscienter argenteum vas, quod ad magicas artes fuerat adhibitum, supposuisset, stetit liquor. Re noua percussus Antistes, ad preces confugit, diuinoque impulsu vas illud remouit; aliud substituit, & protinus liquor sicut ante, velut ex fonte carismatum fluere cœpit. Ex corpore Euthymij Abbatis, & Elisabethæ Hungariæ, oleum scaturire solebat, quo multi infirmi sanabantur: sicut & ex sepulchro S. Bercharij Abbatis, quod cunctis morbo correptis fuit salubre.

Ex ossibus S. Hedv vigis Ducissæ Poloniæ, liquor purus & clarus, instar olei suauissimi mirique odoris profuxit. Idem accidit ossibus S. Solomæ, quæ Boleslai regis soror fuit, & post obitum Colomanni mariti, vixit in castitate. De corpore S. Walburgis Antuerpiensium patronæ (apud quos hodieque eius crypta, in qua eam solitam orare tradunt, visitur) refert Molanus oleum in subiectum vas argenteum profluere, quod multis morbis medicinale est; sicut & ex tumba S. Perpetui Traiectensis Episcopi, Dionanti sepulti, profuxisse diu dicitur, Notum insuper est S. Ianuarij sanguinem in ampulla, dum prope caput eiusdem sancti ponitur, cum antea rigeret, protinus colliquescere, commoueri, & ebullire, ac si spiritu vitali polleret.

In Monte Falco vrbe Italiæ, celebris etiam est ampulla sanguinis, quæ ex corpore S. Claræ effluxit. Is concretus, quoties aliquid calamitatis imminet Reipub. Christianæ, solet colliquescere, subfilire & efferuescere; idque paulo antequam Cyprus à Turcis caperetur, accidisse, testantur oculati testes. Scilicet: *Ossa vestra quasi herba germinabunt, & cognoscetur manus Domini seruis eius.*

Certè germinarunt ossa S. Mariæ Magdalenzæ, ex cuius cranio vitis succreuit; eoque indicio ipsa reliquias suas demonstrauit Carolo regi Siciliæ, apparens ei in carcere, ex eoque illum liberans. De Sancto item Eadmundo, Anglorum rege, scribit Abbo Floriacensis Abbas in eius vita, quod ex eo post multa tempora incolumi & viuido reperto, vngues succreuerint & capilli.

Crome-
rus l. 9.

In Natal.
SS. Belg.
4. August.

Isa. 66.

Sur. 22.
Iulij.

capilli, quos quotannis præcidere solebat matrona quædam pia, ad eius tumulum multos annos commorata. Taceo de sepulchris sanctarum Virginum, ex quibus non semel lilia aut rosas germinasse, in vitis earum legimus. Vnde meritò canit Ecclesia: *Sancti tui Domine florebut sicut lilium, & sicut odor balsami erunt ante te.* Plura vide apud Thomam Bozium tom. 2. de sign. Eccles. signo 66. l. 15. c. 10.

Pierius
Hierog.
33.

Et sanè quàm conuenientissimè de ossibus sanctorum, Deus oleum stillare facit. Est enim oleum seu olea Hieroglyphicum misericordiæ, pacis, amoris & spei, quæ omnia etiam post mortem suam sancti nobis procurant apud Deum: ideoque rectissimè S. P. Norbertus cum oliua in manu pingitur, quia si quis alius, ille fuit, *Vir misericordiæ, & Angelus pacis.* De quo sic aliquando cecini:

*Discordes animas, amore cordis
Concordes animas, amans amoris.
Discordantibus adtrahendo magnes,
Concordantibus vniendo ferrum,
Suauis compede, vinculoque amoris,
Illa compede, vinculoque amoris,
Qua discordia corda colligantur,
Et concordia corda continentur.
Ergo publica, cumque proximorum
Pax, consensus, fœdus, vnitasque,
Et sit, & fuerit tibi perennis
Zelus pectoris, vnicumque votum,
Discordantibus esse pacis author:
Concordantibus eius esse fautor;
Hoc te nomine, iure predicabo:
Arca es fœderis, Angelusque pacis.*

Kalendis

Kalendis Decembris.

Nouiomum in Belgia, Sancti Eligij Episcopi, cuius vitam admirandam, multiplex signorum numerus commendat.

1.
Decemb.
Vide cap.
44. Apoc.
Spir. fol.
221.

ITa Martyrolog. Romanum, numerans inter ciuitates Belgicas, Nouiomum, vel vt communius dicitur, Nouiodunum, vulgò Noyon, quæ pestilentis hæresiarchæ Caluini fuit patria, propriè ad Franciam pertinens, & Sueffionibus finitima. Quod idcirco adnotasse hic iuuerit, non vt Martyrologium Romanum corrigam. absit. Verùm ne tam infelix & execrabilis soboles, Caluinus scilicet, Belgio, veluti matri obrudatur aut supponatur. Sciendum tamen Nouiomum, quin & totam Picardiã, olim sub antiqua Belgica fuisse comprehensam.

Inter signa autem quæ eum mirificè commendant, non vltimum illud est, quod eo nondum nato, eius matri iam partui vicinæ diuinitus fuisse exhibitum scribit Audoënus, & ex eo Surius 1. Decemb. Cùm B. Eligius Nouiomensis Episcopus, matri adhuc aluo esset inclusus, vidit genitrix eius visionè miram; Aquilam scilicet pulchram supra stratum suum volitantem, ac se terribè inclamantem, sibi que nescio quid pollicentem; cumque ex reciproca voce euigilasset, perterrita nimis, cœpit mirari quænam esset hæc visio. Interea venit tempus pariendi, & præ magnitudine doloris sæpè periclitari. Vocatus fuit religiosus presbyter boni testimonij, vt pro ea oraret: qui cùm venisset ad eam, quasi propheticum mox vsurpans verbum, ait ad eam: *Noli mater timere, quoniam benedictum partum dignabitur Dominus tibi largiri, erit enim vir sanctus, ac de gente sua electus, vocabiturque magnus in Ecclesia Dei Sacerdos.* Scilicet hic verum est illud Ieremiæ: *Priusquam te formarem in utero noui te, & antequam egredereris de vulua sanctificaui te, & propheta in gentibus dedi te.* Et illud quod de Euangelistis canit Ecclesia: Ierem. 1.

Tua sunt hæc Christe opera, qui sanctos tuos ita glorificas, vt etiam dignitatis gloriam, in eis futuram, præire miracula facias.

Aptissimum verò diuinæ circa S. Eligij prouidentia, instrumentum, fuit Aquila, quæ Symbolicè sanctos designat, quia aquilarum dotes & mores imitantur, quos his versibus complectitur poëta:

M

Alta

Alta volat, manet in petris, rostrum terit, est rex;

Venatur, ieiunat, habet gemmam, rota solis

Sola probat pullos, lambit, fonte innouat alas,

Fulua, videns vngues, pisces prædat aque clangit.

Ita sancti mente cælos conscendunt, habitant in petra, id est, Christo. rostrum incuruum, id est, prauitatem animi, iram, rapacitatem, ad petram, id est, Christi crucem adterunt. Sunt reges sui & mundi; venantur animas, ieiunijs corpus macerant. habent gemmam gratiæ & charitatis. Solis intuitu, id est, Christi, filios suos spirituales probant an sint verè fideles & genuini, eosque sicut Aquila ad volandum, id est, ad sui imitationem prouocant. Ad hæc aquilæ, id est, fideles sancti, non potant, non inebriant, sed lambunt & sobriè bibunt. Si vitijs senescant, fonte lacrymarum & pænitiæ se innouant. Fului sunt, id est magnanimi, vt aquilæ & leones, qui propriè fului sunt. respiciunt vngues, id est, vilitatem naturæ suæ vt se humiliant. Insuper aquila inter ambulandum contrahit vngues, ne aciem eorum adterat: quo monet nos ait Plutarchus, ne ingenij nostri acumen in rebus vilibus hebetemus, sed arduis & præstantibus impendamus. Denique aquila prædam prospicit & pisces, id est, animas in hoc mundi magno mari narantes, diabolo eripiens clangit & iubilat. Quæ omnia pulcherrimè S. Eligio possunt adaptari, vt ex vita eius perspicuè Lectori patebit, qui sicut aquila in hoc Belgico tractu nobis apparuit. Frequenter enim, vt ait Audoenus eius æqualis, Rhotomagensis Episcopus, ab ingrato & perfido populo lacessitus, & pænè vsque ad conrumeliam prouocatus, nullatenus à cœpta doctrina areebatur, sed magis ipse lenis, patiens, humilis & mitis pro eis Dominum deprecabatur. Hinc Ægyptij, vt significarent conuictorum contemptorem, pingebant aquilam immotam, quæ nec penmis, nec rostro minaretur quidquam mali, & iuxta eam cornicem quæ eam lacesseret, & conuictijs molestaret. Hoc est quod Isaias c. 40. de sanctis dicit: *Mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut Aquila, quæ neque tempestate, neque fulmine tanguntur:*

immò ——— *Etiam si fractus illabatur Orbis*

Impavidus ferient ruina.

Vbi nota Lector, magnos sanctos à puero designari & destinari ad magna, idque sæpè per mira præfagia. Ita, vt de S. Willibrordo, Bernardo, Dominico, alijsque notioribus taceam, Sanctissimus Pater Norbertus matri suæ Hadwigi grauidæ voce de cælo lapsa

Sur. & a-
lij. in vit.

lapsa fuit præsignatus, dum audit: *Æquo animo esto Hadvrigis, Archiepiscopum paries, qui magnus erit coram Deo & hominibus.* de quo sic ego alibi.

Ismael & Samson spondentur ab æthere Matri:

Et pia Norbertum discit ab axe Parens.

Germinat ille Duces; hic liberat Israel: Orbem

Prole replet Prasul, liberat hæresibus.

Sic mater Aeneæ Syluij (qui postea Pontifex, Pius II. fuit appellatus) cum proxima esset partui, in somnis visa est sibi puerum parere mirram in capite gestantem, ut scribit Auentin. in vita Pij II.

Solet insuper S. Eligius, pro incolumitate equorum à fidelibus passim inuocari, estque in Gallicanis partibus antiqua consuetudo, ut in eius festo, equi ad fores Ecclesiæ ducantur, quos Sacerdos, S. Eligij malleo ad hoc benedicto, & cum quo pingitur quia aurifaber fuit, non faber ferrarius (licet hi eum propter affinitatem mallei & opificij ut patronum colant) in fronte tangere consuevit. Quod tamen superstitiosum videri non debet. Ita enim canes rabidi, clauem quam S. Huberti vocant, promiscuè inuruntur; & de nola S. Antonij bestijs appendi solita contra pestem, supra diximus in Apotheca Spirit. c. 14.

Extat duobus ab Atrebato milliaribus editum montis iugum, quod S. Eligius valde olim frequentauit: & licet cultu esset asperum, cælestibus tamen exercitijs suaue reddidit, ibique exiguum sacellum meditationibus commodum composuit, in quo sicut *Aquila*, corpore in sublimibus, & mente in cælestibus dudum fuit conuersatus. quod quidem labentibus retrò annis Eremitæ aliquot, deinde Canonici, ut vocant, sæculares; postea Regulares S. Augustini occuparunt. Quem propterea Montem S. Eligij appellare placuit, neque hætenus nomenclaturam dimisit. Vide Locrium in Chron. Belg. anno 636. qui anno 665. addit: S. Eligius ex mortali carcere, ad immortalæ cælestis gloriæ aulam, generosus athleta progreditur.

Nonis Decembris.

Decemb.
Vide cap.
20. Apot.
Spir. fol.
120.

Treuiris sancti Nicetij Episcopi, miræ sanctitatis
viri.

Huius sanctissimi Præfulis res gestas, scripsit Gregorius Turonensis, libro de vita Patrum c. 17. vbi inter cetera hæc ait:

Sanctus Nicetius Episcopus ab ipso ortus sui tempore, Clericus designatus est. nam cum partu fuisset effusus, omne caput eius, vt est consuetudo nascentium infantium, à capillis nudum quidem cernebatur: in circuitu verò modicorum pilorum ordo apparuit, vt putares ab eisdem coronam Clerici fuisse signatam. exinde à parentibus educatus; litterisque institutus, Abbati cuidam in monasterio commendatur, mortuoque succedit, ac postea zelo fidei & iustitiæ præstantissimus inuentus, à Theodorico rege Franciæ, Ecclesiæ Treuirensi præficitur. cuius etiam censura correctus & emendatus, Theodobertus, filius ac successor Theodorici fuit: vt planè mireris, inquit Baronius, inuictos Francorum reges, à Dei sacerdotibus tantummodo laudabiliter passos esse se vinci. Miserat quidem eum Clotarius rex postmodum in exilium, quod sæpius pro iniustis operibus ipsum excommunicasset: sed postliminè reuocauit, sedique pristinæ restituit, Clotarij filius, Sigebertus. Licet enim frequenter exilium ei fuisset Clotarius comminatus, tamen vt sacerdotem & Episcopum Dei decet, pro iustitia exulare maluit, quàm tacendo, impietati regis consentire. Prima namque dos Episcopi, eaque maximè necessaria est, impauida libertas & fortitudo in corrigendis etiam Principum, Regum ac Imperatorum vitijs, qua excelluerunt præstantissimi & celeberrimi Episcopi. Ita magnus ille Hosius Cordubensis Antistes Constantinum Imp. sic affatus est: Desine quæso Imperator, ne te misceas rebus Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe, sed potius ea à nobis discere. tibi Deus imperium commisit; nobis quæ sunt Ecclesiæ, concredidit.

Ita S. Ambrosius Theodosium coarguit, Justinæ Imperatrici restitit, Valentinianū sic allocutus est: Noli te grauare Imperator, vt putas te in ea quæ diuina sunt, imperiale ius habere. noli te extollere, sicut

vis.

vis diutius imperare. ad Imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem Ecclesiæ. Minabatur eidem Arianus, Imperatoris domesticus, mortē; respondit intrepidē: Deus permittrat te facere quod minaris, ego patiar quod sacerdotis est; tu facias quod spadonis est. Ita Chrysostomus tot fulmina in Arcadium & Eudociam emisit, quot pænē verba locutus est. Ita pariter Hilarius, Athanasius, Lucifer Calaritanus, quem Athanasius, Eliam sui zui vocat, grauiſſimis verbis Constantium Imp. redarguerunt, non vincula, non carceres, non exilium, non mortem denique ipsam pauentes. Sicut neque hic S. Nicetius expandit. Epitaphium eiusdem & præclara in eo eſlogia, vide apud Venant. Fortunatum.

Sexto Idus Decemb.

Conceptio gloriosæ semper Virginis Genitricis
Dei Mariæ.

2.
Decemb.
Vide cap.
11. Apoc.
Spir. fol.
78.

Priuilegiatum est hoc festum, & singulare remedium secū adfert contra pestem, non quidem corporis, de qua hætenus & deinceps: verū animæ, quæ illa multo magis nociua est, ideoque magis curanda: contra luxuriã nempe, & tentationes carnis ad eam prouocantes. Tradit enim Joannes D. Auila, nostri zui in Hispania, prædicator Apostolicus, & Ribadeneira in vitis sanctorum hac die; ex crebra certaue experientia, singulare & efficax remediū esse contra tentationes carnis, & ad conseruandam castitatem, si tentatus, B. Virginem inuocet, opemque ab ea poscat per immaculatam eius Conceptionem, & Angelicam puritatem, qua concepta est, & qua pariter vt Virgo concepit Dei filium, atque in honorem vtriusque Conceptionis, hymnos vel preces aliquas recitet. Illud sanè certissimò omnibus constat, complures sanctos per B. Virginem donum Virginitatis vel castitatis impetrasse. Ipsa enim est rubus ardens incombustus, qui vt à se, ita & à Mose, alijsque sibi fidelibus, flammam concupiscenciæ repellit. Ipsa est fons sibi alijsque signatus, ac puteus aquarum viuentium, quæ ardorem carnis restinguunt. De Candido habitu nostro, quem in testimonium Immaculatæ huius Conceptionis accepit à Deipara, dicimur, plura superius retuli. Illud de ea hic tantum dixisse suffecerit, quod magnum illud Theologiæ decus Franciscus Suarez de eadem

Exod. 3.

Cantic. 4.

M 3

scribite

Suar. in 3. p. q. 27. 2. 2. disp. 3. sect. 5. scribit: Si S. Bernardus nunc viueret, & præsentis Ecclesiæ faciem videret, & Romanorū Pontificum autoritatē impensè fauentem sententiæ de Immaculata Conceptione, dubium non est, quin illam veneraretur. idemque ait, existimandum est de D. Thoma.

Certè de D. Thoma hoc affirmat B. Ludouicus Bertram. Ordin. æquè Prædicat. & à S. D. Paulo V. an. 1618. in Beatorū numerum relatus; qui non solū immaculatam Conceptionem constanter docuit, sed etiam indubitanter affirmauit, omnes antiquos qui contrariam scripserunt opinionē, si modò viuerent, eamdem, relicta ea quam

hactenus propugnarunt, edocturos. Immo Bernard. de Busti refert D. Thomam post mortem apparuisse Fantino Episcopo Parauino, & dixisse B. Virg. conceptam fuisse sine originali peccato. Et quid mirum? docet namque idem Angelicus Doctor 2. 2. q. 10. a. 12. magis standum esse authoritati Ecclesiæ, quàm Augustini, Hieronymi, vel cuiuscumque Doctōris. Quin & Joannes Vitalis scribit se vidisse li-

brum retractationum D. Thomæ, in quo retractat quidquid contra immaculatam Conceptionem scripsit.

De S. Bernard. quibusdā videtur minor esse difficultas. putant enim illam epistolam 174. ad Canon. Lugdunens. esse supposititiā, & sub Bernardi nomine à Secretario eius Nicolao dicto (qui stylum eius nouerat ad viuum imitari, & manum ac sigillum eiusdem sæpè falsificauerat, vt ipse Bernardus epist. 284. & 298. conqueritur, & ostendit Baron. ad an. 1146.) falso euulgatā. Primò, quia epistola dicit festum Conceptionis fuisse inauditū, quod tamen Bernardus benè nouerat haberi in Martyrol. Adonis, Bedæ & Vsuardi. Secundò, celebrabatur tunc in Ecclesia Narbonensi, alijsque primarijs Franciæ Ecclesijs. Quare ergo epistola reprehendit Lugdunenses Canonic. non alios? Tertio. In vita S. Bernardi, ne verbum habetur de ista lite cum Lugdunensibus, cū tamen longè minutura ibi referantur, quæ Bernard. cum alijs Ecclesijs tractauit. Quarto. Nullibi reperitur responsio Lugdunensium ad eam epistolam. Quintò, Floruerunt illo sæculo litteris & sanctitate in Francia, Algerius Cluniacensis monachus, Hildebertus Archiep. Turon. Petrus Cluniac. Hugo & Richardus Victorini, Bernardo familiariter correspondentes, Petrus Blesens. & alij: quorum nullus vel apparenter festum Conceptionis impugnavit vel reprehendit, vel de prædicta lite mentionē fecit. Vnde multū suspecta & dubia prædicta epistola habetur, nuratque fundamentū quod ex S. Bernard. contra immaculatam Conceptionem struitur.

Porro

Porto Leo X. Pontifex, concessit quod viri deferentes imaginem Conceptionis B. Virginis, & mulieres scapulare Virginum Annuntiarum cum prædicta imagine, eadem gratias obtineant & consequantur, quas consequuntur & consequi possunt deferentes chordam Fratrum Minorum, & Corrigiam S. Augustini. ita Compendium Priuilegiorum Fratrum Minorum.

Quoniam autem tempore festiuitas immaculatæ Conceptionis, primum fuerit in Ordine nostro Præmonstratensi instituta, hæcenus mihi incertum est. Illud interim certissimum est, antiquissimè esse obseruantiam. Vidi namque statuta vetustissima Capitulorum nostrorum Generalium, quæ anno 1322. (facitque eorundem mentionem D. Seruatus Laruelz in Lotharingia Abbas noster) ad quinque distinctiones sunt extensa; & distinctionis quintæ, secundum hoc est Capitulum:

Seru. Lar.
Opt. Re.
Spec. 44.
inst. 20.

Beatæ Dei genitricis & gloriosæ Virginis Mariæ laudes attollere, & eiusdem seruitio quibus possumus obsequijs insistere, affectantes, statuimus vt in principio horarum ipsius Virginis, illa gloriosa saluatio Angelica, *Aue Maria*, à sacerdote hebdomadario præmittatur, & à Conuentu finiatur. Item quod in omnibus eiusdem Virginis quinque festorum vigilijs, à cunctis nostri Ordinis ieiunetur; & quod in omnibus sex festis eiusdem, omnes qui sacerdotes non fuerint, & Conuersi & Sorores Ordinis, in Monasterijs residentes, sacram Communionem recipiant. Et quod de Conceptione eiusdem Virginis per omnes Ordinis nostri Ecclesias, fiat duplex festum, & in officio tam diurno quàm nocturno, fiat per omnia sicut de eiusdem Natiuitate, mutatis nominibus, prout in Antiphonarijs & Missalibus reperitur, &c.

Quod Capitulum seu decretum, tunc non fuit primò conditum, sed renouatum & confirmatum denuò; vt inde appareat, diu ante annum 1322. prædictam festiuitatem in vsu fuisse per Ordinem nostrum Præmonstratensem. Cuius festiuitatis obseruantia quando primum in Ecclesia Romana inchoata fuerit, pariter incertum est. Certè non ante iam dicta tempora vniuersaliter celebratam fuisse, plane verisimile est ex ijs quæ Baronius alijque de eadem scribunt. Et fuit Ordo noster à sui exordio, cultui Beatissimæ Virginis additissimus, ac potissimum huic festo; si vera est verosimilis illa traditio, S. P. Norbertum candidam suam vestem ab eadem Virgine in testimonium immaculatæ Conceptionis accepisse: potuitque Patres nostros

Cauell. in
Rosar. D.
Virg.

nostros ad obseruantiam prædicti festi permouisse terribilis illa visio Claræuallensi cuidam Religioso exhibita. in qua S. Bernardus niueis indutus vestibus, furuam maculam ad mamillam pectoris habere visus est, in signum purgationis, quod de Conceptione Virginis, non scribenda, ut ipse fassus fuit, scripsisset.

Nota insuper ex supradicto Capitulo statutorum nostrorum, alterutrum festorum S. Mariæ, vel Visitationis, vel Præsentationis (hæc enim recentissima sunt) dudum ante in Ordine nostro celebratum fuisse, quàm ea ponat Illustrissimus. Card. Baronius in Ecclesia Occidentali incœpisse. Illud namque refert quoad institutionem, ad Urbanum VI. qui sedere cœpit anno 1378. quoad publicationem verò, ad annum 1389. sub Bonifacio IX. Hoc autem, festum scilicet Præsentationis, ad annum 1375. ante quæ tempora, anno nempe 1322. sex festa Mariana, nobis obseruanda præcipiuntur, quæ non possunt esse alia, quàm Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Natiuitatis, Conceptionis, & vel Visitationis, vel Præsentationis.

Eodem die.

Vide cap.
20. Apot.
spirit. fol.
120.

Treuiris S. Eucharij discipuli B. Petri Apostoli, & primi eiusdem ciuitatis Episcopi.

PAUCA admodum, immò vix vlla, de hoc magno viro apud antiquos, ac modernos scriptores Ecclesiasticos reperies. quod nescio vtrum scriptorum ignauitæ debeat imputari, an iusto Dei iudicio, qui stellas claudit quasi sub signaculo, ut inquit Propheta Job, dum videlicet exigentibus peccatis malorum, vita absconditur bonorum.

Ceterum apud Belgas ac Germanos inferiores Cisrhenanos, prima Christianæ Religionis fundamenta, ut supra etiam dixi, Eucharis, Valerius & Maternus, Petri Apostolorum Principis, discipuli posuerunt. de quibus l. 1. c. 3. loqui videtur Jrenæus Episcopus Lugdunensis, scriptor vetustissimus, & qui Maternum nostrum saltem senē, puer videre potuit: Etsi, inquit, in mundo loquele dissimiles sunt, sed tamen virtus traditionis, vna & eadem est: & neque hæc quæ in Germania sunt fundatæ Ecclesiæ, aliter credunt, aut aliter tradunt. neque hæc quæ in Hibêris, neque hæc quæ in Celtis, neque hæc quæ in Oriente,

Oriente, neq; hæc quæ in Ægypto, neq; hæc quæ in Lybia, neq; hæc quæ in medio mundi sunt constitutæ. hæc Irenæus, B. Polycarpi Smyrensis Episcopi discipulus, vt scribit Hieronymus, & Apostolicorum temporum vicinus; Germaniæ haut dubiè nomen ea notione vsurpans, qua solebant illius æui scriptores Romani, cum nullæ adhuc essent in Germania Transhenana, Christianorum Ecclesiæ.

Octauo Kalend. Ianuarij.

25
Decemb.

In Bethleem Iudæ Natiuitas Domini nostri Iesu Christi secundum carnem.

CVr hoc sollemnissimum festum, etiam in Tutelam hinc adnumerem, rationem dabo non contemnendam ex S. Bonauentura, in vita S. Francisci c. 10. vbi ita scribit: Contigit autem anno tertio ante obitum suum, vt memoriam Natiuitatis pueri Iesu, ad deuotionem excitandam, apud castrum Græcij disponeret agere, cum quanto maiori solennitate valeret. Ne verò hoc leuitati posset adscribi, à summo Pontifice petita & obtenta licentia, fecit præparari præsepium, apportari fœnum, bouem & asinum ad locum adduci. Aduocantur fratres, adueniunt populi, personat silua voces, & venerabilis illa nox luminibus copiosis & claris, laudibusque sonoris & consonis, & splendentis efficitur, & solennis.

Stabat vir Dei coram præsepio pietate repletus, respersus lacrymis, & gaudio superfusus. Celebrantur Missarum solennia super præsepe, Leuita Christi Francisco, sacrum Euangelium decantante. Prædicat deinde populo circumstanti de natiuitate regis pauperis, quem cum nominare vellet, puerum de Bethleem præ amoris tenerritudine nuncupabat. Miles autem quidam virtuosus & verax, qui propter Christi amorem sæculari relicta militia, vito Dei magna fuit familiaritate coniunctus, Dominus Ioannes de Græcio, se vidisse asseruit puerulum quemdam valdè formosum in illo præsepio dormientem, quem B. Pater Franciscus ambobus complexus brachijs, excitare videbatur à somno. Fœnum autem præsepis reseruaturn à populo, mirabiliter sanatiuum fuit brutorum languentium, & aliarum repulsum pestium diuersarum. Ita

Fœno pestis propulsatur.

N Bonauentura.

Bonauentura. Et quid mirum si Dominus Deus per hoc factum pestem sæpè propulsauerit, quod ipse sua præsentia honorare dignatus fuerat, cum scribat Seuerus Sulpitius, stramentum cui Sanctus Martinus indormierat, dæmonem profligasse? Sacre Virgines post discessum illius, in secretarium vbi dormierat, irruunt, adlambunt singula loca, vbi aut sedit vir beatus, aut steterat. Stramentum etiam in quo quieuerat, partiuntur. Vna earum post dies paucos, partem straminis, quam sibi pro benedictione collegarat, energumeno, quem spiritus erroris agitabat, de ceruice suspendit: nec mora, dicto citius, eiecto dæmone, persona purgata est.

Porrò ex hoc facto S. Francisci, Pontificia authoritate comprobato, nota Lector antiquissimam, hodieque laudabiliter vŕitam consuetudinem, in nocte Dominicæ Natiuitatis erigendi per omnes Ecclesias, huiusmodi Præsepia; quæ non sunt aliud, quàm viuida in animis fidelium deuotionis excitamenta: dum per figuras ijs exhibetur, quod in rei veritate semel pro salute omnium gestum est, quamuis omnium oculis videri non potuerit. Et si enim in sacris literis de boue & asino ad Præsepe Domini stantibus, nihil apertè proditum sit; antiquissima tamen traditio est, quæ à prisca seculis ad nos vsque dimanauit, sanctorum Patrum Ambrosij, Augustini, aliorumque quos Leo Castrus in cap. 1. Isaia citat (esto petulanter nimis & arroganter eos Caluinus, vitulus pro more suo vitulans, subfannet, vocetque fabulones & asinos) testimonijs subnixa, qui Christo puero & Domino in præsepi inter bouem & asinum reclinato, & ab eisdem vel ordinaria & naturali obedientia; vel fortè etiam extraordinaria & miraculosa (vt vult Bonauentura) reuerentia agnito & adorato, illud Isaia adaptant: *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui.* itemque illud Abacuc propheta iuxta Septuaginta: *In medio duorum animalium cognosceris.* Si enim agnus S. Francisci flexit genua ante sacram Eucharistiam; si alauda & aues suo silentio & applausu eundem sanctum sibi concionantem reueritæ sunt & honorarunt; si fere Antonium, Paulum, Hilarionem, aliosque ad primæuam Adæ innocentiam accedentes coluerunt; si apes non semel sacram Eucharistiam tutatæ sunt; si iumenta super sepulchrum S. Kiliiani Martyris in stabulo sepulti, nec stercora, nec vrinam reddiderint, quasi honorem ei exhibentia: quid ni bos & asinus in præsepio præsentem & recens natum Christum innocentissimum, Dominum suum & nostrum, peculiari aliquo cultu honorasse,

Ha. 1.

Abac. 3.

rassē, eique se inclinando, fœno eum tegendo, halitu suo eum calefaciendo, alijsque modis eum fouisse credantur; præsertim cum non modò angeli & pastores, sed & stella tunc eidem seruiert, vocans & præiens Magos ad eum in Bethleem? Certè non est seruus maior Domino suo nec creatura suo, Creatore.

Volunt quidem Lyran. & S. Bonauent. atque alij, bouem & asinum à Iosepho fuisse adductos: verùm quia pauper erat, probabilius ex S. Chrysostomo sentit Sanchez, quod vel ad herum hospitij, vel ad alium quempiam peregrinum seu indigenam, pertinuerint. Præsepe verò in quo reclinatus fuit Saluator noster, Romam postea translatum fuit, positumque in Basilica S. Mariæ Maioris; antea quidem vile & luteum, vt scribit S. Chrysost. nunc verò laminis argenteis obductum; iuxta quod congruè valde corpus S. Hieronymi ibidem conditum est; vt sicut iuxta illud ipse vixit, ita iuxta idem mortuus quiescat. De fœno autem in quo idem fuit positus, vt commodius paulò iaceret, & frigus minus sentiret, ita ex Sedulio vniuersa canit Ecclesia;

Fœno iacere pertulit,

Præsepe non abhorruit,

Paruoque lacte pastus est,

Per quem nec ales esurit.

De Rosa Ierichuntina, vulgò, *Rosa Mariana*, quæ hac nocte qua Saluator noster natus fuit, licet exsucca sit & sicca, paulatim sponte sua hiat, & tandem se prorsus pandit; post eam vero noctem, ramos iterum contrahit, & in glomum se colligit, multa vide apud P. Andream Coppenstein, qui pulchrè eam describit, dicitque eam esse Hieroglyphicum incorruptæ Virginitatis Sanctissimæ Deiparæ, secundum illud Ezechielis: *Porta hæc clausa erit, non aperietur, & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa Principi, nempe post egressum eius, cuius nomen Oriens est.*

De insit.
frat. Ros.
l. 1. c. 26.

Ezech.
44.

Nascuntur eiusmodi Rosæ prope fontem Helisæi in Palæstina. Porro peculiari ritu hæc solennitas nati Saluatoris, Ordini nostro festiua est, quod nempe eo die, anno 1121. beatissimus Patriarcha Norbertus, post plurima Apostolicæ vitæ insignia, Præmonstrato sibi cælitus à Sanctissima Deipara habitu, & primi Cœnobij loco, acceptaque à magno Hipponensium præfule *Augustino*, Clericorum aurea Regula, vnà cum collecto suo candido sodalicio, solenni sese votorum professione, in obsequium perpetuum paruulo

Iesu nato consecrauit, & Dominicæ descriptionis adinstar, in die Natalis Domini, sub eadem, & stabilitatis in loco, & professionis gratia, ad illam beatæ perennitatis ciuitatem, cum noua sua & Candida militia sese descripsit. atque ita ab humili Christi præsepio, quod non nisi paupertatem, castitatem, & obedientiam nobis clamat, nouæ vitæ cursum auspicatus est.

29.
Decemb.

Quarto Kalend. Ianuarij.

Vide
cap. 3.
Apoth.
Spir. fol.
19.

Hierosolymis sancti David Regis & Prophetæ, qui Israeliticum populum, pestilentia atrociter à Deo flagellatum, sua pœnitundine & precibus liberauit.

Historia hæc plus quam notissima est, & sparsim in Apotheca mea, illius mentionem feci. Quod si mortalis adhuc, & inter mortales degens, misericordiæ ipse indigas diuinæ, apud Deum pro suis subditis tantum impetrare potuerit: quid iam poterit pro suis clientibus, amicus Dei, cohæres Christi, & confors factus æternùm duraturæ beatitudinis? Pro ijs maxime, qui dicit illo malo pestilentie durè flagellati, psalmos eius pœnitentiales contrito & humiliato corde, Deo obrulerint? Procul dubio illud Nathan Prophetæ audient: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris.*

Fuit verò magnus hic Rex & Propheræ, uti corde ita & corpore parvus & humilis. In quo illud eiusdem verè fuit adimpletum: *Dominus humilia respicit in celo & in terra. Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem; ut collocet eum cum principibus populi sui.* Quin & sapissimè comperimus, Deum eximios viros, quos ad magna destinabat, corpore paruos efformasse. Ita magnum illud decus Orientis, & aureū os eloquentiæ, S. Ioan. Chrylostomus, corporis specie & statura paruus fuit. Gregorius cognomento Theologus, patria non Episcopatū Nazianzenus, statura mediocri fuit, grataq; breuitate extitit. S. Paulus uti nomine, ita re paruus fuit. *Tricubitalis est*, inquit Chrylostomus, *& calos transcendit.* S. Hieronymum paruo fuisse corpore, scribit Ribadeneira in eius vita. Atque hinc fortè tanta illi mentis acredo. S. Constantius Mansionarius ex paruitate corporis,

docu-

documentum sumpsit humilitatis, & virtutis adeò illustris, vt aqua quasi oleo, ardentem in Ecclesia lucernam aleret. S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, adeò pusillus fuit, vt cum ei nomen esset Antonius, diminutiue vocatus sit Antoninus. Qui tamen monstrum fuit memoriae æque ac doctrinae & sanctitatis. Cum enim tredecim tantum esset annorum, totum ius Canonicum memoriter calluit. In infinitum excreveret hic catalogus. Sed contendendum cum paruis relinquo, qui in sui gloriam satis magnanimitati sunt. Et nota sunt illis in longos opprobria: *Omnis longus amens.* item *Caliga Maximini. Verum: Ipse fecit nos, & non ipsi nos.*

Greg. l. 4.
dial. c. 8.

Psal. 99.

Porro de immensis prodigijs ad sepulchrum S. Davidis editis, cum impius Herodes, thesaurum inde auferre conaretur, ista scribit Iosephus: Igitur Herodes consumptis suis pecunijs, audiens Hyrcanum ante se regem, aperuisse tumulum David, & tria millia talentorum inuenisse, multò plura credens deposita, quæ ad omnes sumptus suos sufficerent, tumulum aperiens ingreditur noctu, dum nequaquam vellet hoc ciuitatem sentire. Vnde fidelissimos amicos tantum ducens, pecunias quidem depositas, sicut Hyrcanus non inuenit: ornatum verò & vasa aurea plura tulit. Dum verò omne studium poneret, & inquisitionem diligentiolem faceret, ac vellet interiorius ingredi ad vrnas in quibus David & Salomonis corpora posita erant, duo eius satellites flammis exusti sunt, ab interiori parte occurrentibus. Tunc ille timore perterritus, egreditur, & pro piaculo, monumentum ex lapide candido, ante ianuam magnificentissimis construxit expensis. Ita Iosephus, qui ibidem putat, hanc fuisse causam, quare exinde domus Herodis, in deterius labi cœperit, ita vt ipse totos ferè reliquos regni, vitæque suæ annos, in sedandis perpetuis familiae suæ dissidijs, non sine magno animi sui mœrore, ac propriae vitæ periculo occupatus fuerit, & hac de causa Romam denuo navigare, ingrauescente licet iam ætate, coactus sit, & multa insuper in suos crudeliter patrare. Sed vtrum horum Herodis infortuniorum causa fuerit, prædicta Davidici sepulchri spoliatio, affirmare non ausim. Nam quidquid sit, certè maiora Herodem peccata commisisse, dubium non est. Et si ob idem facinus Hyrcanum castigatū non legimus, non est cur tantopere vtrum Herodem tam facile pronuntiare debeamus; præserim, cum, ipsomet Iosepho teste, certum sit, memorata Herodis familiae dissidia, multò ante cœpta esse. tamen verum quoque sit, ea deinceps semper in peius processisse.

l. 16. c. 11.

l. 16. c. 11.

Solet namque frèquenter grauiſſimis pœnis, impios ſacrorum ſepulchrorum violatores, Deus punire. Ita narrat Baron. anno 878. quemdam inſtinctu Photij violantem ſepulchrum S. Ignatij Patriarchæ, cuius æmulus erat Photius, morte fuiſſe percuiſſum. Quomodo item irreuerentia in ſepulchrum S. Equitij ſit punita, ſcribit S. Gregorius l. 1. Dialog. c. 4.

Quin & apud ipſos gentiles, barbarum & inhumanum habebatur id factum: vt facto ipſo indicauit Nitocris regina Babylonis. Hæc enim ſepulchrum ſibi extraxit ſupra portas vrbs excelſo in loco, atque his litteris inſcripſit: *Si cui regum Babylonis poſt me futurorum fuerit pecunia penuria, aperto ſepulchro ſumat quantumcumque pecunia libuerit, dumtaxat indigens, aliter non aperiat. non enim ſatius fuerit.*

Herod.

l. 1.

Plutar. in
vita

Quod ſepulchrum proſus manſit immortum vſque ad Darium Hyſtaſpis, qui fruſtra ibi pecunias recondi arbitratus, aperuit monumentum, in quo pecunias non inuenit, ſed litteras ita dicentes: *Niſi pecunia eſſes inexplebilis, & turpis lucri cupidus, hæc aperuiſſes urnas defunctorum.* Immò Alexander Magnus, cum Cyri monumentum apertum comperiſſet, facti authorem Polymachum, interfecit. Titulus autem monumenti erat: *Quisquis homo & vndecumque veniſti (nam venturum noui) ego Cyrus ſum, qui Perſis queſiui imperium. Ne inuideas mihi, oro te, exiguam hanc humum, qua corpus meum tegit.* Quæ Alexandrum valde permouerunt, reputantem incertitudinem & viciffitudinem rerum. Hinc & illa Horatij querela de Romanorum excidio:

lib. Epod.

de 16.

Barbarus heu cineres inſiſtet victor, & urbem

Eques ſonante verberabit vngula:

Quaque carent ventis & ſolibus oſſa Quirini,

Nefas videre, diſſipabis inſolens.

Pridie

Pridie Kalend. Ianuarij.

31
Decemb.

Romæ natalis S. Siluestri Papæ, qui Magnum
Constantinum Imperatorem baptizauit, &
Nicænam Synodum confirmauit: multisque
alijs rebus sanctissimè gestis, quieuit in pace.

Vide cap.
33. Apoth
spirit. fol.
182.

Non vltima summi huius Pontificis laus est, ideoque meri-
tò ab Ecclesia hic recensetur, quod Magnum Constanti-
num baptizauerit. Maximum enim Ecclesiæ augmentum
totique fidei Catholicæ per hunc baptismum accessit,
quando extincta impiissimorum Imperatorum tyrannide, aurea
tranquillitas ei obrigit, & veluti clauso crudelitatis fano, Christianæ
Pacis fores omnibus sunt patefactæ. cuius pars magna Siluester fuit.
Estque hoc solenne in Rom. Martyrologio, vt eo potissimum titu-
lo Sanctos viros honoret, quod gentiles reges, aut magnos peccato-
res ad Christum conuerterint, catechizauerint, aut baptizauerint.
Ira de S. Remigio prima Octob. habet: *Rhemis in Gallia, S. Remigij
Episcopi & Confessoris, qui gentem Francorum conuertit ad Christum, Clo-
doveo ipsorum rege sacro fonte baptismatis & fidei Sacramentis initiato.* item
28. Augusti: *Hippone Regio in Africa natalis S. Augustini Episcopi & Eccle-
sia Doctoris eximij, qui B. Ambrosij Episcopi opera ad Catholicam fidem con-
uersus & baptizatus &c.* & 25. Ianuarij: *Apud Damascum natalis S. Ana-
nia, qui Apostolum Paulum baptizauit.* denique 2. Decemb.: *Edesæ S.
Nonni Episcopi, cuius precibus Pelagia pœnitens ad Christum conuersa est.* Est-
que idem passim per totum Martyrologium, omnibus obuium. Et
meritò. Sicut enim trophæa & spolia ab hostibus capta in bello vi-
ctores exornant, ita mulò magis tot millia animarum, quæ exemplo
similium regum aut celebrium peccatorum, conuertuntur, & dia-
bolo quasi per manum fortem inuito eripiuntur.

Plura apud Baron. per annos singulos de hoc Pontifice digesta,
qui desiderat, inueniet.

Illud autem in eo obseruo, quod vnus hic sit inter reliquos Pon-
tifices,

rifices, qui longissimo tempore Apostolicam Sedem rexit. Sedit enim 21. annis, sicut & Leo primus; verumtamen & in ipso, & in alijs omnibus verum fuit: *Beatissime Pater annos Petri non videbis.* quod hodieque Pontifici dum inauguratur, solet acclamari. Nec falsò. id enim ita esse & fore, experientia continuà mille sexcentorum annorum, & ducentorum triginta septem Pontificum, satis præfigit, immò euincit: quorum nullus ad 25. annum Pontificatus (tot siquidem sedit S. Petrus) peruenit. Omnium proximè accessit Hadrianus primus, qui anno Domini 772. creatus Pontifex, sedit ipsos annos 24. exceptis 43. diebus. Sedit enim integros annos 23. menses 10. & dies 16. mortuusque est anno Domini 795.

Quinimmò multi tres tantum annos, alij vnū, alij paucos menses, alij paucos dies in Pontificatu sederunt. Vidimus vno eodemque anno 1590. successiuè illi præsidere, tres Pontifices, Sixtum V. Urbanum VII. Gregorium XIV. & mox anno 1591. Innocentium Nonum, & post triginta dies, Clementem Octauum, quem numerum postè Leo XI. etiam non excessit; diuina providentia arcane ita disponente, siue ob honorem Sancti Petri, qui primus Pontificatum Romæ constituit, seditque annos 25. vt ipse sicut dignitate & meritis, ita & annis reliquos omnes sequaces & posteros superet: siue vt Pontifices in tanto fastigio & culmine dignitatis constitutos, humilitatis & modestiæ admoneat, doceatque illud parvipendere, & cælestes æterno sive honores ambire: siue vt hic eis stimulus sit ad acre & continuum heroicorum operum & virtutum studium, dum cogitant breuem sibi fore Pontificatum, æquè ac vitam, ideoque assiduè sibi dicant: Quod facere destinas, fac cito; breuis enim erit tibi hæc potestas, breuis facultas magnorum facinorum.

Paucos ergo annos magnis virtutibus imple.

Paucis annis tot tantaque facito, quæ nomen tuum, & in terra & in cælis illustrent, ac æternitati transcribant.

Imitare Linos, Cletos, Clementes, Gregorios, Leones, qui consummati in breui, impleuerunt tempora multa.

Proposuit olim Alexander Secundus Pontifex hanc quæstionem B. Petro Damiano, cur Pontifices tam paucis annis viuerent, & nemo ad annos S. Petri peringeret, cum nonnulli florenti ætate fuerint ac validi?

Pet.
Dam. l. 1.
cap. 17.

Respondit hoc iudicij cælestis ordinem disposuisse, vt humano generi

generi metum mortis incuteret, & quam dispicienda sit temporalis vitæ gloria, in ipso gloriæ principatu, ac veluti sole, deliquium patiente, euidenter ostenderet; præsertim cum vnus omni mundo præsideat Papa, reges sint simul plures, nec sic soleant Pontifices violenta morte occumbere, vti reges.

Addit noster Lorinus (inquit Corn. a Lapide) id fieri vt minus appetant homines Papatus culmē, quod ferè certi sunt nō diu duraturū. Nō appetijt illud S^{mus}. D. N. *Vrbani VIII.* hodiernus Pontifex, de quo ita Herm. Hugo, olim in humanioribus litteris Præceptor meus: Te iam recens Pontificem omnium admurmuratione dictum, nondū solenni ritu è throno salutatum, genibus humi nixis, manibus, oculisque sublati, Deum his verbis publicè compellasse intellexi:

In 2. pet. c. 1.

Præfat. in pia desideria.

Domine, si hac electio, non est aut è gloria tua, aut è bono Ecclesie, aut salute mea, prius hinc efferar è Conclauis mortuus, quàm viuus.

O vocem *Vrbano* Pontifice dignam! vocem aris, templisque omnibus consecrandam! vocem quæ quàm dignus Pontificatu esses, quo instinctu ad eum prouectus, facile indicaret. Sic viue diu Ecclesie tuæ *Vrbane Optime Maxime*, cui Princeps iubente cælo præfectus es. Quod ego & Catholicū tuum ouile sanctissimo suo Pastori, millies vouent.

Sexto Idus Maij.

In terra Hus, Sancti Iob Prophetæ, admirandæ patientiæ viri. 10. Maij.

NE mireris studiose Lector, quod hunc magnum Prophetam, etiam hîc adnumerem. Solus titulus eximie eius patientiæ; ad id suffecerit; illa enim peste infectis aut afflictis, in primis & maximè necessaria est, quando quidem omni humano solatio destituti ordinariè hi esse soleant. Verùm non hunc solum titulum, hic specto: alio iure, inter reliquos venit adnumerandus. Præter namque innumeros morbos & afflictiones, quibus miserimè in patientiæ exemplū, fuit attritus, etiam igne sacro, quem hodie *S. Antonij* vocamus, estque teterrima pestis species, à Deo percussus volunt. Vnde & ipse in quo passus est, potens est & alijs, qui

Vide pinedam in c. 2. Iob.

qui eum inuocant, opem ferre. Anabaptistarum quidē doctrina est, sed erronea & falsa, quod Iob numquam fuerit in rebus humanis, quodque liber eius confictam tantū contineat historiam. Conuincunt eos apertis erroris, sacræ litteræ, dicente Deo apud Ezechielem: *Ezec. 14. Si steterint in medio Noe, Daniel & Iob, ipsi in iustitia sua liberabunt animas suas.* & Jacob. Apost. *Sufferentiam Iob audistis, & finem Domini vidistis: ubi admirabilem eius patientiam nobis in aduersis imitandam proponit.* de quo item vide cap. 2. Tobia.

Vide
Franc.
Guicciar.

Vanè etiam & temerariè scripsit H. Cornel. Agrippa, luem Veneram Iob. in Diuos retulisse. Dudum enim ante exortum hoc pestilens malum, quod centesimum annum non adedò multū excedit, (putatur enim tantū hīc innotuisse anno 1495. cū Neapolim obsideret Carolus VIII. rex Franciæ, speciosas hæc merces Hispano homine ex India adducente) Veneti sacram eius memoriam, & templo & festo die celebrarunt: constatque Vlsardum Caroli magni ætate, & Wandelbertum non multò post, Martyrologijs suis eum inseruisse. Et à Græcis notatur ad sextum diem Maij, sanctus & iustus Iob, qui multa contra satanam certamina sustinuit. appellantque eundem Prophetam, ob multa præuisa & prænuntiata vsque ad sæculi consummationem, diuina consilia.

Putat nihilominus Pineda, non improbabiler dici, Sanctū Iob huc quadā, hodiernæ nostræ Veneræ, nō absimili, in maioris patientiæ documentum, fuisse percussum de quo latius eundem consule in c. 2.

Plurima per Brabantiam habet sacra loca sibi dedicata, in quibus festo suo die, magno populorū concursu solet visitari. Estque celebris eius memoria Wesemalię, duobus à Louanio milliaribus: in cuius honorem, ibidem votiuum carmen nuper conscripsit, Cl. V. Erycius Puteanus, magni Lipsij in Louaniensi cathedra successor. Monet verò, & rectè Ioan. Molan. corrigendos esse ab Ordinario, quicumque festum & memoriam S. Iob, non religiosè, sed petulanter celebrant.

Et

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum, Confessorum atque Virginum, qui dirum pestilentiae malum à suis Clientibus diuina ope propullarunt, aut eadem ardentem ignem in eorumdem corporibus restinxerunt.

ITa hoc Diarium meum Sanctorum contra pestem Tutelarium concludo, iterumque nouo voto pro me omnibusq; illo utentibus, Deo Tutelari per eorumdem suffragia supplico.

Omnipotens & misericors Deus, supplicibus tuis misericordiam tuam clementer impende: vt qui peccatis nostris, Maiestatem tuam grauitè nos offendisse confitemur, gloriose Virginis & Dei Genitricis Mariae, sanctorumque Rochi, Antonij, Christophori, Sebastiani, Hadriani, & omnium electorum tuorum intercessione ac meritis, à pestis contagione, fame & bello, tua benignitate seruemur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Beda lib. 3. historiae Anglorum c. 27.

EDelhun & Ecgbert cū essent in monasterio, quod lingua Scottorum Rathmelfigi appellatur, & omnes socij ipsorum vel mortalitate de saeculo rapti, vel per alia essent loca dispersi, correpti sunt ambo morbo eiusdem mortalitatis, & grauissimè afflicti. E quibus Ecgbert (sicut mihi referebat quidam veracissimus & venerandae canicie presbyter, qui se hæc ab ipso audisse perhibebat) cū se æstimaret esse moriturum, egressus est tempore matutino de cubiculo, in quo infirmi quiescebant, & residens solus in loco opportuno, cœpit sedulò cogitare de actibus suis, & compunctus memoria peccatorum suorum, faciem lacrymis abluebat, atque intimo ex corde Deum precabatur, ne adhuc mori deberet, priusquam vel præteritas negligentias, quas in pueritia siue infanzia commiserat, perfectius ex tempore castigaret, vel in bonis se operibus abundantius exerceret. Vouit etiam votum, quia ad eò peregrinus viuere veller, vt numquam in insulam, in qua natus est, id est, Britanniam rediret. quod præter solennem canonici temporis psal-

modiam (si non valetudo corporis obliteret) quotidie psalteriū totum in memoriam diuinę laudis decantaret. quod in omni septimana diem cum nocte ieiunus transiret. Cumque finitis lacrymis, precibus, & votis, domum rediret, inuenit sodalē dormientem, & ipse quoque lectulum conscendens, cępit in quietem membra laxare; & cū paululum quiesceret, expergefactus sodalis, respexit eum, & ait: O Frater Ecgberte, ō quid fecisti? Sperabam quia pariter ad vitam eternam intraremus. Verumtamen scito, quia quę postulasti accipies. Didicerat enim per visionem, & quid ille petisset, & quia petita impetrasset. Quid multa? ipse Edilhun proxima nocte defunctus est. At verò Ecgbert decussa molestia ægritudinis, conualuit, ac multo post tempore viuens, acceptumque sacerdotij gradum condignis ornans actibus, post multa virtutum bona, vt ipse desiderabat, nuper, id est anno Dominicę Incarnationis septingentesimo vigesimo nono, cū esset ipse annorum septuaginta, migravit ad regnā cęlestia. Duxit autem vitam in magna humilitatis, mansuetudinis, continentię, simplicitatis, & iustitię perfectione. Vnde & genti suę & illis in quibus exulabat nationibus Scotorum siue Pictorum, & exemplo viuendi & instantia docendi, & autoritate corripiendi, & pietate largiendi de his quę à diuitibus acceperat, multum profuit. Addidit autem votis quę diximus, vt in Quadragesima semper non plus quā semel in die reficeretur, non aliud quā panem ac lac tenuissimum, & hoc cum mensura gustaret. Quod videlicet lac pridie nouum in phiala ponere solebat, & post noctem ablata superficie crassiore, ipse residuum cum modico, vt diximus, pane bibebat. Cuius modum continentię, etiam quadraginta diebus ante Natiuitatem Domini, totidem quoque post peracta solennia Pentecostes, hoc est, quinquagesimę, semper obseruare curabat.

Porrò hic est ille S. Ecgbertus qui instar duodecim Apostolorum, ex diuersis monasterijs duodecim Apostolicos viros in fide constantes, Willibrordum, Switbertum eorumque socios misit in Belgium, qui anno 690. Traiectum appulerunt, & constanter Christum euangelizauerunt, atque Deo cooperante, multum animarum lucrum in Frisia, Hollandia, alijsque in locis fecerunt. Vnde maxima beneficia ille Belgio nostro pręstitit; dignus qui ab eodem religioso cultu honoretur. Festus eius dies in Martyrologio Rom. ponitur. 24. Aprilis.

*Villielmus Malmesburiensis de gestis Regum
Anglorum lib. 3.*

Sed quia Fuldense Cœnobium nominavi, dicam quod ibidem accidisse vir reuerendus mihi narrauit, Walkerus Prior Maluerniæ, cuius verbis qui non credit, iniuriam religioni facit. Non (ait) plusquam quindecim anni sunt, quod in eodem loco, exitialis lues grassata, prius Abbatem corripuit, mox multos monachorum extinxit; superstites primò sibi timere, orationes & elemosynas largiores facere, sed processu temporis, vt omnium hominum natura, pedetentim metu dempto omittere: Cellerarius præsertim qui palam & ridiculè clamitaret, non posse penum tot expensis sufficere; sperasse se nuper aliquod alleuiamentum, pro tot elationibus funerum, nihil vltra spei esse, si quod viui nequissent, mortui consumerent. Itaque cum quadam nocte propter necessaria soporem distulisset diu; tandem elaqueatis morarum retibus, in dormitorium ire pergebat. Et ecce rem miram auditurus es. Videri in Capitulo Abbatem, & omnes qui obierant, illo anno, ex quo excesserant, ordine sedere: timidus & effugere gestiens, vi retractus est. Increpitus & monastico more fragellis exercitus, audiuit verba Abbatis in hanc omnino sententiam: Stultum esse de alterius morte emolumento inhiare, cum fors cuiusque sub eodem pendeat fato. Impium esse cum Monachus omnem vitam in Ecclesiæ consumpserit obsequio, vt careat saltem vnus anni post mortem stipendio. Illum citissimè obiturum; sed quidquid pro eo fieret, ad aliorum quibus abstulerat, refundendum commodum, iret modò, & alios corrigeret exemplo, quos corruerat verbo. Abijt ille, & nihil se vanum vidisse tam recentibus plagis, quàm proximo sui obitu monstrauit.

Fulda celebre est in Germania Benedictinorum Monasterium.

Idem de gestis Pontificum Anglorum lib. 2.

Interea tabes letifera grassata in Danos, cateruatim hostes Elphengi (fuit hic sanctus, Archiepiscopus Cantuariensis) fundebat, adeò vt celeritas mortis, præueniret sensum doloris. Putor itaq; cadauerū insepultorum, aërem infecit, corruptiorq; cæli tractus, ceteris qui sani videbantur, pestē creauit. Ruebant ergo sine modo, si-

Festum eius ponitur in Martyrol. Rom 19. Aprilis.

ne numero : cum ille exoratus pane à se benedicto communicatis pestem depulit, salutem restituit. Nec minus illi beneficiorum ingrati, curatorem suum lapidibus contrucidarunt. Nonnulli verò quibus sanius consilium, de sepeliendis exutrijs Pontificis contententes, aliquamdiu percussores, aduersarios habuerunt. Sed lite in iudicium deducta, conuenit, vt lignum aridum, quod fors obtulerat, si sanguine eius litum, crastino reuiesceret, arbitrato suo Christiani cadauer humarent. Factumque est, & lignum, cui tum etiam & cortex deerat, manè inuentum reuiruisse, pubescens floribus, turgescens fructu.

Ossa vestra quasi herba germinabunt, & cognoscetur manus Domini seruis eius, & indignabitur inimicis suis. *Isaia 66.*

Pelbartus Osvaldus Temesuariensis Ord. Minor. in stellario Corona Mariana. Claruit circa annum 1500.

NOni puerum, qui in peste cum se sentiebat infectum, no-
uem vicibus cum *Aue Maria* apostematis locum consignauit, & sic saepius liberatus est, nec vnumquam ei pestis præualuit.

F I N I S.